RÆ
ACÆ

JACQUIN

4

696
14

Biblioteca nazionale centrale di Firenze

This page was intentionally left blank

*

Pagina lasciata intenzionalmente vuota

6.9.6.14

A

9. 6. 14.

S. N. f. 7

B

VOLUMEN QUARTUM,

CONTINENS

ICONUM

CENTURIAM QUARTAM.

FLORÆ AUSTRIACÆ

SIVE

PLANTARUM SELECTARUM

IN

AUSTRIÆ ARCHIDUCATU

SPONTE CRESCENTIUM,

ICONES,

AD VIVUM COLORATÆ, ET DESCRIPTIONIBUS,

AC

SYNONYMIS ILLUSTRATÆ,

VOL. IV.

OPERA ET SUMPTIBUS

NICOLAI JOSEPHI JACQUIN.

VIENNÆ AUSTRIÆ,

TYPIS JOSEPHI MICHAELIS GEROLD,

AULÆ IMPERIALIS TYPOGRAPHI.

MDCCLXXVI.

1872

TABULA TRECENTESIMA PRIMA.

ORNITHOGALUM NUTANS. *Linn. ſyſt. pag.* 243.
Ornithogalum floribus ſpicatis , ſeneſcentibus pendulis ; filamentis ſtaminum alternis majoribus, bicornibus. *Hall. hiſt. helv. num.* 1216.
Ornithogalum neapolitanum. *Cluſ. app. alt. p.* 9.
Ornithogalum exoticum, magno flore minori innato. *Bauh. pin.* 70.

E Auſtriæ civibus adnumero hanc plantam, quum a quatuor & viginti retro jam annis, quando agrum Viennenſem herbarum cauſa perluſtrare cœpi, vere ſylveſtrem in hortorum ambulacris, ad ſepes, inque pratis ſuburbanis naſcentem inveni, & adhucdum invenio, olim procul dubio aliunde allatam. Bulbus albicans, ſubovatus & compacte ſquamoſus, telluri profundius inhæret, folia generans aliquot pedalia, linearia, ſtriata, conniventia, hinc valde carinata, dorſo ex cinereo virentia, facie lætius, recurvato-patentia, terminata in acumen obtuſum ſolidumque. Scapus teres, aphyllus, erectus, foliiſque altior, racemum format florum a quinque ad viginti. Pedunculi proprii & uniflori ſuffulciuntur bractea membranacea longa fuſceſcente. Flores inodori ante explicationem eriguntur, explicati pedunculos habent patentes, iterum conniventes evadunt penduli, manentque tales. Petala patentia ex viridi ſordide albent, idque externe ſaturatius, cum oris albidioribus. Filamenta alba, omniaque ad apicem trifida , valde tota dilatantur, alterna breviora. Antheræ ante pollinis exploſionem ſunt magnæ, erectæ atque ſulphureæ. Germen ovatum ſulcis ſex, alternis obſoletioribus, inſcribitur. Stylus craſſior eſt. Capſula magna, pendula, obtuſiſſima, ſexſulcata cum angulis rotundatis, trilocularis & trivalvis ſemina in quolibet loculamento includit tria quatuorve, globoſa, atra, nitida & rugoſe punctata. Valvulæ ſunt craſſæ, fungoſæ & glutinoſe ſucculentæ, demum poſt ſemina delapſa bene ſiccæ evadentes. Floret Aprili & in principio Maji, ſub cujus finem ſemina perficit. Adduntur in tabula pars ſcapi fructigeri, ſemen, & ſtamen cum longum, tum brevius.

TABULA TRECENTESIMA SECUNDA.

GENTIANA PUMILA. *Linn. ſyſt. p.* 200. *Jacq. enum. vind. p.* 215. *obſ. part.* 2. *p.* 29. *t.* 49. *Scop. carn.* 1. *p.* 178.

Etiam Gentiana verna Linnæi apud nos ad alpes usque adſcendit, & floret cum hac pumila eodem ibidem tempore, ſed folia ſua latiora & reliqua ſervat omnia, quibus vere ceu ſpecies genuina ab hac diſtinguitur, ut ab autopta confundi nequeant. Tota glaberrima & ferme inſipida eſt. Radix tenuis, perennis, ramoſa, pallens, & ætate multiceps, in ſurculos abit paucos, ſubdiviſos, foliorum roſula terminatos. Cauliculi ſunt ſimpliciſſimi, erecti, graciles, ſubangulati, uniflori, herbacei, ab unica ad tres uncias alti, modo tam breves ut fere nulli. Folia radicalia, tum etiam caulina oppoſita, ſunt ſeſſilia, lanceolato-linearia, acuta, integerrima, ſubcanaliculata, avenia. Flos modo ſeſſilis in ſummo foliorum pari, modo pedunculatus, calycem habet tubuloſum, acute pentagonum, acuminatum. Corollæ hypocrateriformis, calyce duplo longioris, & pulcherrime atque ſaturatiſſime cæruleæ, laciniæ ſunt ovatæ, ad oras una alterave ſerratura inciſæ vel integerrimæ, acutæ, cum interjectis ſquamulis ſemibifidis. Antheræ flavæ & liberæ. Stylus longus cum ſtigmate infundibuliformi, in fructu bipartibilis. Semina minuta. Frequentiſſima creſcit in ſummis alpium jugis, imprimis in vicinia nivium. Floret a Junio ad Septembrim in diverſis locis.

TABULA TRECENTESIMA TERTIA.

MEUM (ATHAMANTICUM). *Hall. hiſt. helv. num.* 761. *Riv. pent. irr. t.* 62.
Meum foliis Anethi. *Bauh. pin.* 148.
Athamanta Meum. *Linn. ſyſt. pag* 208.
Æthuſa Meum. *Linn. ſyſt. ed.* 13. *pag.* 237.
Seſeli Meum. *Scop. carn.* 1. *pag.* 212.
Liguſticum Meum. *Crantz. faſc. pag.* 198.
Daucus Meum. *Cluſ. hiſt. CXCVIII.*

Tota planta glabra tritaque aromatica eſt. Folia ſaporem habeat paucum; qui radici ſeminibusque fortior eſt, trifolii meliloti cæruleæ quiddam monſtrans cum ſubſecuta lenta & inſigni acredine. Radix prælonga, digitum plus minus craſſa, aut ſimpliciſſima aut multiceps, foris fuſca, intus alba, & perennis, caput gerit numeroſis ſetis coronatum. Caulis unus alterve, ſuberectus, teres, ſubtiliter lineatus, ſuperne etiam ſtriatus, fiſtuloſus, plus minus pedalis, verſus ſuperiora folio uno alterove ornatur, ex quo rami ſimplices & aphylli, ſive pedunculi umbelliferi, prodeunt, umbella etiam ipſe terminatus. Petioli ſunt compreſſi, nec ſulcati aut ſtriati. Folia ſunt multifide pinnata: pinnis ſetaceis, mollibus, læte virentibus, numeroſis & valde contiguis, hinc viſis denſe faſciculatis. Involucrum univerſale eſt unifolium, lineare, acutum; vel plane nullum. Particulare conficitur ex foliolis paucis, ſetaceis, longitudine umbellulæ, ad cujus externam dimidiam partem duntaxat locantur. Umbella eſt convexa. Petala ſunt ovata, acutiuſcula, concava, ex ochroleuco alba, patentiſſima, cum apice parumper inflexo. Filamenta pallida, patentiſſima petaliſque duplo longiora ſuſtinent antheras ochroleucas. Germina in plurimis deficiunt floſculis, hinc ſterilibus. Semina ſunt oblonga, acuta, fuſca, glabra, hinc planiuſcula, illinc convexa & ſtriis quinque elevatis notata. Creſcit in alpibus ſummis, flores Julio, ſemina ferens matura Septembri. In tabula ſiſtuntur ad latus ſemen utrinque conſpectum in naturali volumine; tum aucta flos ſeminiſque transverſe diſſecti facies.

TABULA TRECENTESIMA QUARTA.

BOLETUS CINNABARINUS.

Ar-

Arboribus parasiticus accrescit in subalpinis Austriæ; quem ex Carinthia etiam reverendus Franciscus Xaverius Wulfen transmisit. Fungus sessilis & horizontalis, superne convexo-planus, ruber & æquabilis; subtus planus, tenuissime nec profunde tubulosus, coccineusque; carne firma, coriacea, tenace, subrubella, aliquot lineas crassa. Antrorsum haud valde protenditur; latitudine variare a me visus ab unica ad quatuor uncias. Color in asservato diu jam perstitit. Tabula exhibet fungi faciem superiorem, tum inferiorem, dein superioris partem cum discissa substantia, ut crassities & fabrica interior appareant.

TABULA TRECENTESIMA QUINTA.

SCORZONERA PARVIFLORA.

Tota planta glabra est. Radix perennis, calamum vel digitum minimum crassa, teres, interdum crure uno alterove aucta, lacte glutinoso subochroleuco & amaricante turgida, primum sordide pallet; per ætatem vero rugis circularibus notatur, tunc longior, multiceps, fusca, & ex ipsis capitibus fibras crassas telluri immittens. Caules plures, sæpe in orbem positi, inferne procumbunt, hinc adscendunt, striati, virides & plus minus pedales. Folia radicalia angusta, acuta, subnervosa, crassula, integerrima, utrinque ex glauco virentia, oriuntur ex petiolo canaliculato. Caulina pauca & amplexantia ex alis promunt ramulos erectos & unifloros, aut eosdem paucifloros caulique similes. Calycis glauci nitidique squamæ ad apicem fuscescunt, & in fructu elongantur. Corolla flava, & ratione congenerum parva, raro expansa conspicitur. Calyx proprius fit ex setis quinque, pappo longioribus, in flore erectis; in semine una cum pappo patentissimis. Et reliqua ad Linnæanum characterem sunt. Crescit in subpalustribus apricis. Floret Majo, Junio & Julio. Culta ne vel minimum mutatur, & æque tunc a Scorzoneris humili & hispanica differt quam sylvestris, ut veram distinctamque speciem constituat. Primam hujus plantæ notitiam debeo egregio nuper discipulo meo, clarissimo Sigisberto Schivereck, nunc Chemiæ & Botanices Professori Oenipontano, a quo plantarum Tyrolensium exactam cognitionem merito exspectamus.

TABULA TRECENTESIMA SEXTA.

CYTISUS LABURNUM. *Linn. syst. p.* 489. *Scop. carn.* 2. *p.* 68. *Hall. hist. helv. num.* 360.
Laburnum arbor trifolia, Anagyridi similis. *Bauh. hist.* 1. *p.* 361.
Anagyris non fœtida major alpina. *Bauh. pin.* 391.
Anagyris non fœtens minor. *Bauh. pin.* 391.

Arbor ab octo ad quindecim pedes alta, ramosa, ligno duro, trunco brachium crasso. Folia oriuntur ex iisdem gemmis plura aggregata, ternata, longe petiolata; foliolis ellipticis, integerrimis, brevissime petiolatis, facie glabris & saturate virentibus, dorso & ad oras obscure pilosis, adultis tandem etiam hic fere glabris, obtusis cum exiguo mucrone. Racemi elegantes, semipedales & ultra, penduli, numerosis floribus pedunculatis onusti, ex eadem cum foliis gemma prodeunt. Pedunculus communis, proprius, & calyx villosuli sunt. Hic est brevis & bilabiatus, superne denticulos duos, inferne tres habens minutos. Corollæ luteæ vexillum emarginatum reflectitur, & ad basin maculas punctaque fusca gerit. Alæ oblongæ & obtusæ carinam superant. Stamina connata sunt. Antheræ oblongæ & erectæ. Legumen biunciale, oblongum, compressissimum, obtusum, longitudinaliter rugosulum, cinereum, ad tactum molle & veluti coriaceum, glabrum tamen, semina conti-

net ab unico ad septem, reniformia, nigra, nitidaque. Crescit in sylvis montanis ad limites Hungariæ. Floret Junio. Semina perficiuntur Augusto.

TABULA TRECENTESIMA SEPTIMA.

ORCHIS FUSCA.

Orchis militaris. *Linn. spec. pl. pag.* 1334. *β. Scop. carn.* 2. *pag.* 192. *Crantz. fasc. pag.* 502. b.

Orchis radicibus subrotundis; spica longa; labello quadrifido, brachiolis angustis, cruscułis latis serratis. *Hall. hist. helv. num.* 1276.

Orchis magna, latis foliis, galea fusca seu nigricante. *Bauh. hist.* 2. *p.* 759.

Speciosa planta, inter Orchides nostrates maxima, etiamsi & duplo minora, quam depictum est, specimina occurrant, tum etiam majora spicisque multo densioribus. Merito hanc apud Hallerum & Scopoli ab Orchide galea & alis cinereis Joannis Bauhini separatam videmus, utpote diversam constantemque speciem. Bulbi gemini, oblongi & magni. Folia radicalia & caulina inferiora sunt semipedalia, a duabus ad quatuor uncias lata, glabra, lineata, obtusiuscula, orta ex vagina longa amplexicauli. Caulis bipedalis, superne aphyllus, teres, purpureusque spica terminatur ovata vel cylindrica. Bracteæ pusillæ. Flores odorati. Germen glabrum, intortum, longum, ex fusco viridique varium. Petala quinque in galeam connivent; tria exteriora ovata, acuta, concava, ex fusco viridique lineata, tum etiam ex fusco punctata; lateralibus interdum apice patulis. Interiora duo sunt oblonga, obtusa, plana, pallida cum punctis fuscopurpureis, & angustiora. Nectarii cornu est obtusum, germine triplo brevius, & purpurascens. Labellum longe prominet, quadrifidum cum denticulo ad apicem intermedio, pallidum cum summitatibus purpureis, totumque superne fuscopurpureis punctis variegatum: laciniis obtusis, superioribus angustioribus. Cucullus purpurascit. Antheræ ex viridi flavent. Crescit in pratensibus montanis. Floret Majo & Junio. In tabula additur spica fructigera, & germen cum adhærentibus petalis interioribus, nectarii cucullo & calcare.

TABULA TRECENTESIMA OCTAVA.

CLEMATIS VITALBA. *Linn. syst. p.* 376. *Scop. carn.* 1. *p.* 388. *Crantz. fasc. p.* 126.

Clematis caule scandente; foliis pinnatis, ovato-lanceolatis; petalis coriaceis. *Hall. hist. helv. num.* 1142.

Clematis latifolia dentata. *Bauh. hist.* 2. *p.* 125.

Clematis latifolia integra. *Bauh. hist.* 2. *p.* 125.

Clematis tertia. *Camer. epit. p.* 697.

Clematis sylvestris latifolia. *Bauh. pin.* 300.

Atragene Theophrasti. *Clus. hist. p.* 122.

Vitalba. *Dod. pempt.* 3. *l.* 3. *c.* 15.

Radix lignosa, intus albida, brachium tandem crassa, & fibris crassissimis donata, caules promit plures, fruticosos, sarmentosos, lignosos, ramosos, teretes, striatos, a quatuor ad viginti pedes longos, digiti vel ad basin quandoque pugni crassitie, lentissimos ut funium adinstar adhiberi queant, vestitosque cortice crasso inæquali fusco lento & in fibras longitudinales facile secedente. Rami & caules juniores calamum æquant, sulcato-striati, virides vel purpurei, glabri aut pilosuli. Folia sunt opposita, patentissima, longe petiolata, glabriuscula, & pinnata ex foliolis utrinque duobus cum terminante impari, ovato-acumi-

minatis, quandoque ad basin cordatis, modo integerrimis, modo inæqualiter magis minusve serratis. Petioli proprii longi in cirrhos mutantur. Pedunculi axillares, patentes, longi & opposite ramosi muniuntur ad divisiones foliolis simplicibus ovatis vel lanceolatis & plerumque integerrimis obtusisque. Flores odorati & acres petala habent quatuor, rarius quinque, coriacea, oblonga, plana, patentissima, pallide ochroleuca & subtus villosa. Stamina numerosa albent. Pistilla plurima & sericeo-villosa abeunt in totidem semina ovalia, compresso-plana, fusca, hirsuta, terminataque in caudam pilosam. Crescit ad sylvas, sepes, & frutices. Floret Augusto & Septembri. Semina perficit Novembri, quæ diu in planta perstant. Ad latus exhibentur fructus integer, semen singulare, & caulis discissi portio.

TABULA TRECENTESIMA NONA.

ATROPA BELLADONNA. *Linn. syst. p.* 171,
Belladonna trichotoma. *Scop. carn.* 1. *p.* 160.
Belladonna caule herbaceo, brachiato; foliis ovato-lanceolatis, integerrimis. *Hall. hist. helv. num.* 579.
Belladonna. *Mill. ic.* 62.
Solanum lethale. *Clus. hist. p. LXXXVI. Dod. purg. p.* 360.
Solanum melanocerasus. *Bauh. pin.* 166.
Solanum majus. *Cam. epit. p.* 817.

Radix crassa, albida, in crura divisa, & perennis, annuatim caulem gignit unum alterumve, teretem, herbaceum, basi digitum crassum, erectum, ramosum, diffusum, a tribus ad quinque pedes altum. Folia sunt ovata, petiolata, acuta, integerrima, ad latera caulis ramorumque gemina & magnitudine inæqualia, inter quæ pedunculus uniflorus & sæpius solitarius egreditur. Flos cernuus & inodorus. Perianthii sordide virentis, campanulati, persistentis & profunde quinquefidi laciniæ sunt lanceolatæ, acutæ, & quædam interdum denticulo ad latus præditæ. Petali tubus quinquesulcatus & brevissimus albet. Limbus campanulatus, venulosus & superne in quinque lacinias triangulares patulasque sectus, intus versus inferiora flavet, versus superiora ibidem & foris ex integro sordide ex fusco purpurascit. Filamenta pallent. Antheræ subdidymæ sunt, & ochroleucæ. Bacca atra, nitida, subrotunda, saporis dulcis, bilocularis, glabra & punctata, continet semina plurima nigra reniformia & punctata. Caulis, folia, & totus externe flos pubescunt. Crescit in sylvaticis sylvisque cæduis. Floret Junio & ineunte Julio. Fructum perficit Septembri.

TABULA TRECENTESIMA DECIMA.

CARDUUS ERYSITHALES. *Jacq. enum. vindob. pag.* 275. *Willich. ill. p.* 51.
Cnicus Erysithales. *Linn. syst. p.* 531. *Jacq. obs.* 1. *p.* 28. *t.* 19.
Cirsium Erysithales. *Scop. carn.* 2. *pag.* 125.
Cirsium acanthoides montanum, flore flavescente. *Seg. ver.* 2. *p.* 157.
Carduo-Cirsium alpinum, polypodii instar profunde laciniatum, & aliquando Dentis leonis foliis, flore luteo, polyanthemum. *Pluk. alm. pag.* 83.

Radix perennis, nigricans, digitum crassa, inæqualis & fibris longis jubata, caulem profert striatum, erectum, angulatum, glabriusculum, basi & superne sæpe villosum, simplicem vel parum ramosum, & a duobus ad quatuor pedes altum. Folia radicalia primi anni in planta nedum caulescente sunt lanceolato-oblonga, basi attenuata, acuta, serrata, & spinuloso-ciliata. Radicalia subsequa & caulina pinnatifida, aliqua etiam ferme pinnata, sub-

subtus pallide virentia, inferiora petiolata, superiora sessilia & subamplexicaulia, remota, utrinque imprimis ad nervos dorsales hirsuta, quandoque facie glabriuscula, ad oras spinuloso-ciliata, radicalia pedalia; laciniis lanceolatis & acutis; costa triangulari. Flores pauci pedunculati, & nutantes caulem ramosque terminant, nullis unquam bracteis obvallati. Calyx fit ex squamis innocuis, numerosis, lanceolatis, nudis, acuminatis, imbricatis, glutinosis, inferioribus ad apices reflexis. Flosculi semper ochroleuci. Semina nitida pappo coronantur sessili & plumoso. Receptaculum est pilosum. Crescit in pratis subalpinis. Floret Julio & Augusto.

TABULA TRECENTESIMA UNDECIMA.

LAVATERA THURINGIACA. *Linn. syst. p.* 461. *Crantz. fasc. p.* 144.
Althæa thuringiaca. *Cam. hort. p.* 12. *t.* 6.
Althæa thuringiaca grandiflora. *Dill. elth. p.* 9. *t.* 8. *f.* 8.
Althæa pannonica secunda. *Clus. hist. p. XXIII.*
Althæa flore majore. *Bauh. pin.* 316.

Ex radice perenni, digitum & ultra crassa, ramosaque caulis unus alterve attollitur, tres quatuorve pedes alti, annui, ramosi, teretes, & scabri. Folia sunt petiolata, pleraque haud profunde quinquelobata, crenata, crassula, subincana. Stipulæ lanceolatæ & acutæ. Pedunculi axillares, uniflori, solitarii, in ramorum summitatibus magis approximati. Flores odorati. Calyx exterior profunde secatur in lacinias tres, subrotundas, latas, sæpe varie sectas ipsas, ut tunc multipartitus videatur. Interior semiquinquefidus lacinias habet lanceolatas & acuminatas. Petala maxima, longe obverse cordata, profunde emarginata, plana, carnea, & sublineata. Stamina tota albent. Stigmata circiter sedecim rubent. Arilli numerosi & rugosi semina includunt glabra. Caules, rami, folia utrinque, stipulæ, & calyx villosula sunt. Crescit ad margines sylvarum & sepium. Floret Julio & Augusto. Et hoc mense & Septembri perficit semina.

TABULA TRECENTESIMA DUODECIMA.

LEUCOIUM VERNUM. *Linn. syst. pag.* 234. *Scop. carn.* 1. *p.* 234.
Leucoium bulbosum. *Clus. hist. p.* 168.
Leucoium bulbosum primum. *Tabern. ic.* 613.
Leucoium bulbosum vulgare. *Bauh. pin.* 55.
Galanthus uniflorus, petalis subæqualibus. *Hall. hist. helv. num.* 1253.
Narcissus septimus. *Cam. epit.* 957.

Floret post primas solutas nives mense Martio & initio Aprilis in sylvis udis, fructum perficiens Majo. Bulbus ex ovato subrotundus & albidus componitur ex squamis dense & compacte ordinatis. Folia pauca, obtusa, erecto-patula, antice plana, subtus ex linea media longitudinaliter protuberante subangulata, scapo breviora, ad basin includuntur vaginis albis. Scapus anceps ad semipedem vel ultra attollitur, uniflorus, quem autores etiam raro duos vel tres ferentem flores viderunt. Constituunt spatham foliola veluti gemella, dorso per membranam albam tenuissimam pellucidamque in toto decursu connexa carinata, virentia cum apicibus obtusis pallidis callosisque. Flos subodoratus ex pedunculo tereti nutat. Germen est obsolete & obtuse trigonum. Petala sex, inter se quoad figuram æqualia, alba, obtusa, subovata, ad callosum apicem veluti in collum contracta compressaque, & ibidem utrinque fascia ex viridi flavente insignita, interne striata, tria interiora angustiora pauloque brevio-

vio-

viora, omnia ſimul corollam formant campanulatam. Filamenta alba & brevia antheras ſuſtinent fulvas erectas ſuique longitudine. Stylus albus ex tenui paulatim verſus ſuperiora in clavæ figuram incraſſeſcit, hic vireſcit, inque ſtigma ſubulatum denuo attenuatur. Tota planta glaberrima eſt. Capſula obverſe ovata gerit ſe plane eodem modo, uti capſula Galanthi nivalis, cujus deſcriptio proxime ſequitur, ſemina etiam ſimilia ſunt, ſed numero pauciora. Creſcit in ſylvis montanis. Floret Aprili. Semina dat ineunte Junio.

TABULA TRECENTESIMA DECIMA TERTIA.

GALANTHUS NIVALIS. *Linn. ſyſt. pag.* 234. *Scop. carn.* 1. *p.* 233.
Galanthus uniflorus; petalis alternis cordatis, brevioribus. *Hall. hiſt. helv. num.* 1254.
Leucoium bulboſum præcox minus. *Cluſ. hiſt. p.* 168.
Leucoium bulboſum alterum. *Tabern. ic.* 614.
Leucoium bulboſum trifolium minus. *Bauh. pin.* 56.
Narciſſus ſextus. *Camer. epit.* 956.
Erangelia. *Renealm. ſpec. pag.* 97.

Bulbus ex ovato ſubrotundus, mollis, compreſſilis fibriſque ad baſin ſolito more auctus, conſtat ex tunicis pluribus, extimo fuſco, interioribus albis; emittitque vaginam membranaceam albam, ſtriatam, ad ſuperficiem terræ truncatam, quæ amplectitur foliorum radicalium inferiorem partem mediumque hæc inter exeuntem ſcapum. Illa ſunt ſublinearia, obtuſa, planiuſcula cum nervo medio ſubtus acute elevato, antice lineata, erectiuſcula, glauca cum apice pallente & calloſo, conſtanter a me obſervata bina. Scapus anceps, uniflorus, glaucuſque ultra folia erigitur, a tribus ad octo uncias altus; in fructu ad usque terram proſternitur. Spatha longa anguſtaque fit ex duobus foliolis linearibus, concavis, apice calloſis albidiſque, cæterum virentibus, utrinque ope membranæ tenuiſſimæ albentis pellucidæque, alterius perſiſtentis, alterius ab erumpente flore omnino ſolutæ, longitudinaliter connexis. Pedunculus tenuis, pallidior & infra germen corrugatus florem fert nutantem ac inodorum. Germen obſolete triquetrum, modo longius eſt tenuiusque, modo ſubrotundum magis. Petala tria exteriora ſunt obverſe anguſteque ovata, valde concava, obtuſiſſima, lineata, alba, & patentiſſima. Petala tria cum prioribus alternantia interiora, (nectarii foliola dicta illuſtri Linnæo,) duploque iisdem breviora, tubum erecta ſimul formant, obverſe cordata, extus alba inſignitaque macula ex luteo virente ſubcordiformi, intus ſtriata & ex luteo viridia cum limbo tenui alboque. Filamenta ſex alba breviſſimaque exoriuntur e foveolis germini impreſſis, antheris donata magnis aurantiacis, in ſetam brevem deſinentibus, conniventibusque in conum. Stylus ſubulatus & teres ſupra antheras eminet. Capſula ſubovata ac obtuſiſſima, dum increſcit, brevi ſcapum verſus tellurem trahit, cui ipſa incumbit. Sic haud ita diu poſthac ſcapus marceſcit, intereuntque folia, quando fructus, nunc liber plerumque a planta & veluti ſuæ ſpontis, maturari ultra pergit, ex virore induere flavedinem aliquam, in tres denique valvulas dehiſcere, & poſt emiſſa ſemina putreſcere. Hæc in quolibet loculamento continentur a duobus ad decem, pro magnitudine fructuum diverſa aut piſi majoris aut nucis avellanæ, albida, nitida, ſubovata. Creſcit in ſylvis udis umboſis, tum etiam in pratis, florens Martio & Aprili, ſemina dans matura ſub finem Maji & Junio ineunte. Tota planta glabra eſt.

TABULA TRECENTESIMA DECIMA QUARTA.

LONICERA NIGRA. *Linn. ſyſt. pag.* 166.

Caprifolium foliis ovato - lanceolatis, baccis gemellis, calyce quinquefido. *Hall. hist. helv. num.* 676.
Periclymenum rectum secundum. *Clus. hist. pag.* 58.
Periclymenum alpinum nigrum. *Gesn. fasc. num.* 48. *t.* 8.
Periclymenum rectum folio serrato. *Bauh. hist.* 2. *p.* 107.
Chamæcerasus alpina fructu nigro gemino. *Bauh. pin.* 451.

Frutex ramosus, a tribus ad quinque pedes altus, & inelegans folia habet opposita, ex oblongo lanceolata, obtusiuscula, breviter graciliterque petiolata, juniora subtus pilosa, postea utrinque glabra, tenuia, duas plus minus uncias longa; modo, idque imprimis in locis umbrosis, planiora, majora, fere disticha & ad oras integerrima, uti in specimine depicto florente; modo in apricis rupestribus minora, nullam servantia directionem, ad oras veluti serrulato-erosa, & cum flavedine aliqua affusaque sæpe purpura virentia, ut ex ramulo fructigero videre est. Pedunculi graciles, axillares, unciales aut longiores, & patuli, filo mutuo opponuntur. Bracteæ ad germina astant quinæ: scilicet in antica florum parte squama est subrotunda, latior, virens; in postica sunt squamæ geminæ angustiores; & ad utrumque latus squama lanceolata arida albida. Germina ovata nitidaque, ad solam basin connata, calycem singula gerunt inæqualiter dentatum cum margine purpureo. Corollæ extus sordide purpurascunt, intus ferme albent ac pubescunt, interdum utrinque albent. Tubus brevis antrorsum protruditur in gibbum. Labium superius latissimum & obtuse quadridentatum erigitur; inferius oblongum integerrimumque totum reflectitur anteriora versus. Filamenta petalo breviora albent. Antheræ purpurascunt. Stigma crassum viret. Baccæ nigræ, subrotundæ, pulpa atropurpurea refertæ, sola basi levissime cohærent, seminaque continent a tribus ad decem, subovata, compressa. Crescit in sylvaticis subalpinis. Floret Majo. Fructus maturescunt Julio.

TABULA TRECENTESIMA DECIMA QUINTA.

COCHLEARIA DRABA. *Linn. syst. p.* 435.
Lepidium Draba. *Crantz. fasc. p.* 10.
Draba prima vulgaris. *Clus. hist. p. CXXIV.*
Draba umbellata seu major, capitulis donata. *Bauh. pin.* 109. *Moris. hist.* 2. *p.* 313. *s.* 3. *t.* 21. *f.* 1.

Copiosissime & passim, ac si fata foret, hæc planta crescit in agro Viennensi, inque ipsis Viennæ suburbiis, ad margines viarum, versuras agrorum, in aggeribus, similibusque locis, florens a Majo ad Julium, & semina ferens Augusto. Radix perennis, teres, profunde telluri infixa, sordide albens, tenuis, & multiceps plures caules producit, erectos, inferne teretes, superne subangulatos, herbaceos, annuos, villosulos, & plus minus pedales. Rami ex superiorum foliorum axillis eriguntur ad ipsam altitudinem caulis, in racemos soluti corymbosos, qui omnes simul corymbum compositum densum formant. Pedunculi proprii sunt graciles. Folia lanceolata, acuta, utrinque brevissime villosula & ex incano virentia, denticulata, & inordinate alternantia. Calycis foliola oblonga, concava, patula, obtusa, & petalis ferme duplo breviora pallent cum flavedine aut virore. Petala albent, obtusissima, ex ungue angusto in laminam oblongam patentissimamque expansa, caduca. Antheræ subrotundæ compressæ atque inde sulcatæ flavent. Silicula cordata, subdidyma, stylo acuminata, glabra, in quolibet loculamento unicum semen fovet; quod cum silicula seorsim in tabula exhibetur.

TA-

TABULA TRECENTESIMA DECIMA SEXTA.

DENTARIA ENNEAPHYLLA. *Linn. syst. p.* 438. *Scop. carn.* 2. *p.* 19. *Crantz. fasc. p.* 26.
Dentaria quinta triphyllos. *Clus. hist. p. CXXI. Bauh. pin.* 322.
Coralloides triphyllos, cognata saxifragæ montanæ. *Gesn. fasc. p.* 4. *t.* 2.
Ceratia Plinii. *Col. ecphr.* 1. *p.* 307.

Radix perennis, horizontalis, alba, calamum vel digitum minimum crassa, dentata & veluti ex multis nodulis constans, ex lateribus etiam propagines producens, caulem gignit herbaceum, teretem, glabrum, subpedalem, erectum, purpurascentem, terminatum racemo multifloro, infra hunc foliis ternis ornatum, cæterum aphyllum. Folia sunt ternata petiolata & glabra; foliolis lanceolatis, acutis, inæqualiter serratis, sessilibus, vel pedunculatis. Racemus modo erigitur, modo nutat, floresque fert a quatuor ad duodecim, totos ochroleucos vel albidos. Calyx corolla ferme triplo brevior est. Petala plana, obtusissima, & oblonga in unguem paulatim desinunt. Filamenta petalis breviora pallent. Antheræ incumbunt. Stylus filiformis & corollæ longitudine viret. Siliqua glabra, compressula, longaque dissepimento crassulo ultra valvulas admodum porrecto instruitur. Valvulæ, subvirentes adhucdum, a basi dehiscunt, revolvunturque ad apices. Semina sunt nitida, subovata vel magis subrotunda. Tota planta acris est. Reperiuntur in plantis aut in nodis junioribus, antequam caulem emittunt, folia radicalia, solitaria, longissime petiolata, & ternata; foliolis a prioribus non diversis. Atque istiusmodi frequentior plantæ habitus est. Vidi tamen etiam folia in caule quaterna. Nec hæc, nec terna illa, semper sunt exacte verticillata, quin alterum quandoque altero altius locetur; rariore etiam exemplo invenerim plantas, in quibus infimum folium fuit subradicale, reliqua duo in summo caule alterna, qualem monstrat icon fructescens. Sed omnia tamen folia sunt ternata, nec ulla unquam a me visa pinnata, uti in Dentaria pentaphylla. Crescit in montibus umbrosis, imprimis in adscensu ad alpes. Floret Aprili, Majo vel Junio ratione elevati soli, fructescens Junio, Julio vel Augusto.

TABULA TRECENTESIMA DECIMA SEPTIMA.

PRENANTHES PURPUREA. *Linn. syst. p.* 521. *Scop. carn.* 2. *p.* 103.
Prenanthes foliis amplexicaulibus, petiolatis, lanceolatis, serratis. *Hall. hist. helv. num.* 19.
Sonchus lævior Pannonicus quartus, purpureo flore. *Clus. hist. p. CXLVII.*
Sonchus montanus purpureus tetrapetalos. *Col. ecphr.* 1. *p.* 245.
Lactuca montana purpuro-cærulea major & minor. *Bauh. pin.* 123.

Radix perennis, transversa, fusca, calamum crassa, unciam unam ad tres longa, inæqualis & exasperata a caulium priorum relictis originibus, ad alteram extremitatem annuatim in progressu suo novum promit caulem, herbaceum, erectum, medulla farctum nivea, gracilem, duos tresve pedes altum, teretem, simplicem, basi purpurascentem, ad folia sæpe subflexuosum, sub horum nervo villosulum, cæterum glaberrimum. Folia sunt alterna, oblonga, acuta, subtus glauca, glabra, semiamplexicaulia aut sessilia, inferiora manifeste denticulata, summa obsoletius. Pedunculi multiflori, ramosi, graciles, glabri, terminalis & axillares simul paniculam formant, sæpe amplam. Flores sunt cernui. Calyx glaber atroviret. Flosculi quini, rarius seni vel quaterni, ex purpureo rubent. Anthera & stylus superne pallidius purpurascunt. Pappus sessilis. Et reliqua ad characterem Linnæanum. Crescit passim in sylvis montanis, & subalpinis, florens Julio, Augusto.

TABULA TRECENTESIMA DECIMA OCTAVA.

THALICTRUM AQUILEGIFOLIUM. *Linn. syst. p.* 377. *Scop. carn.* 1. *p.* 389. *Crantz. fasc. p.* 107.

Thalictrum foliis triplicato-pinnatis, patulis, obtuse trilobis; stipulis ovatis; paniculis umbellatis. *Hall. hist. helv. num.* 1141.

Thalictrum majus, florum staminibus purpurascentibus. *Bauh. pin.* 337.

Thalictrum majus, folliculis angulosis, caule lævi. *Bauh. hist.* 3. *p.* 487.

Ex radice perenni & fibris crassis longisque aucta caulis assurgit plerumque unicus, teres, glaber, erectus, substriatus, pedem unum alterumve altus, ad distantias foliosus, fistulosus, vix ramosus. Folia sunt triternata, glabra, circumscriptionis amplitudine valde varia, ad exortum & divisiones munita stipulis rotundatis & perfoliatis. Costæ sunt teretes & substriatæ. Foliola sunt fere subrotunda, superne obtuse dentato-incisa, subtus glauca & venulosa, vere Aquilegiæ. Caulis in summitate solvitur in paniculam floribus numerosis & suaveolentibus onustam. Petala quatuor, obverse ovata, valde concava, patentissima, pallida, obtusa, staminibus duplo breviora, caduca. Filamenta a sexaginta ad octoginta albent vel purpurascunt. Antheræ flavent. Pistilla septem vel octo abeunt in capsulas pendulas, triangulares, trialatas, obverse ovatas, glabras, semine fætas ovali & utrinque acuto; nisi quis integram capsulam pro semine nudo habeat. Crescit passim in sylvis subalpinis, florens a Junio ad Augustum, semina ferens Augusto & Septembri. Adstant ad latus seorsim flos, capsula, ejusdemque sectio transversa.

TABULA TRECENTESIMA DECIMA NONA.

STACHYS GERMANICA. *Linn. syst. p.* 394. *Scop. carn.* 1. *p.* 412.

Stachys lanata. *Crantz. fasc. pag.* 267.

Stachys caule tomentoso; foliis imis cordatis, superioribus elliptico-lanceolatis; verticillis densissimis, tomentosis. *Hall. hist. helv. num.* 255.

Stachys major germanica. *Bauh. pin.* 236.

Stachys alba latifolia major. *Barr. ic.* 297.

Stachys montana. *Riv. mon. irr. t.* 27.

Tota planta, imprimis trita, fætidum Lamii odorem spirat. Radix perennis, digitum crassa, ramosa & fusca, unum vel plures caules gignit, ab unico ad tres pedes altos, tetragonos, lanugine alba & mollissima dense tectos, ipsos subtus virentes aut purpurascentes, alba medulla farctos, annuos & simplicissimos. Folia sunt opposita, petiolis canaliculatis lanatisque instructa, basi cordata, hinc ex oblongo ovata, acuta, crassa, venosa, tenuiter rugosa, obtuse serrulata, facie tomentosa & haud belle virentia, dorso lanata & incana. Floralia sunt lanceolata & subsessilia. Verticilli densi flores plus minus vicenos breviter pedunculatos habent. Bracteæ ad flores exteriores lanuginosæ & lineares. Calyx etiam lanuginosus, ad unam tertiam partem quinquefidus; limbo patente; laciniis lanceolato-acuminatis, in mucronem rigidum terminatis. Corollæ limbus purpureus, extus hirsutie densa erectaque incanus, labium habet superius modo integerrimum, modo emarginatum. Semina fusca. Et reliqua ad characterem Linnæanum. Crescit in apricis siccis. Floret Junio & Julio. Semina perficit Augusto.

TABULA TRECENTESIMA VIGESIMA.

CENTAUREA PANICULATA. *Linn. syst. p.* 573. *Scop. carn.* 2. *p.* 139.

Cya-

Cyanus pinnulis foliorum pinnatis, linearibus. *Hall. hist. helv. num.* 187.
Stœbe gallica & auſtriaca elatior. *Cluſ. hiſt. p. X.*
Stœbe major calyculis non ſplendentibus. *Bauh. pin.* 273.
Jacea non ſpinoſa, foliis magis diviſis, elatior, capitulis minoribus non ſplendentibus. *Moris. hiſt.* 3. *p.* 140. *s.* 7. *t.* 28. *f.* 15.
Centaurii majoris ſpecies tenuifolia. *Bauh. hiſt.* 3. *p.* 31.

Radix annua, dura, ſublignoſa, ſordide pallens & ramoſa unicum caulem vel plures attollit, ab uno ad tres pedes altum, erectum, ſuperne (quandoque vel ab ipſa radice) paniculate ramoſum, ſtriato-angulatum, firmum, ſcabrum & caneſcentem. Folia ſunt ſparſa, ſicca, ſubincana, acutiuſcula, ſaporis amaricantis & ingrati, infima ſubbipinnata, ſubſequa pinnata, ſumma pinnatifida & quædam quoque ſimplicia: pinnis linearibus vel oblongis. Flores odorati, breviter pedunculati, & numeroſiſſimi, habent calycem ovatum & glabriuſculum, cujus ſquamæ longe lanceolatæ virent cum apicibus fuſcis, ſuperne ciliatæ pilis albis, qui ſunt ciliati ipſi. Corollulæ ex carneo purpuraſcunt, quinquefidæ, exteriores radiantes ſteriles. Anthera eſt ſaturate violacea. Seminum pappus brevis, piloſus, inæqualis, in margine ſeſſilis. Creſcit paſſim ad vias, inque arvis. Floret a Julio ad Octobrim.

TABULA TRECENTESIMA VIGESIMA PRIMA.

LINUM ALPINUM. *Linn. ſyſt. pag.* 224. *Jacq. vindob. pag.* 229.
Lini ſylveſtris quinti anguſtifolii aliud genus. *Cluſ. hiſt. p.* 318.

Radix lignoſa, perennis, ramoſa, & ſordide pallens caules annuatim promit plures herbaceos, ſimplices, ſemipedales aut longiores, teretes, virides, denſe folioſos, plerumque procumbentes aut adſcendentes, in ſummitate multifloros & ſæpe diviſos. Folia ſparſa, linearia, acuta, integerrima, ſeſſilia, plana, ſuperiora erectiuſcula, ſubſequa patentia, inferiora imbricatim reflexa, quæ reflexio in culta obtinet notabilius. Flores inodori, pedunculati, & ratione plantæ magni. Calycis laciniæ ſunt oblongæ & obtuſæ vel acutiuſculæ, nec unquam acuminatæ. Petala pallide cærulea calycem ter ſuperant. Antheræ ochroleucæ. Capſula ſubrotunda, glabra, decaſperma, ſemina continet ovata, nitida, compreſſa, nigricantia, Auguſto & Septembri matura. Floret a Junio ad Auguſtum. Creſcit copioſe in herbidis ſubalpinis & alpinis.

TABULA TRECENTESIMA VIGESIMA SECUNDA.

SISYMBRIUM IRIO. *Linn. ſyſt. p.* 440.
Irio lævis apulus, erucæ folio. *Col. ecphr.* 1. *p.* 264.

Tota hæc planta perpetuo glaberrima eſt, nec ullum pilum aut villum habet, vel ſola hac nota a duabus ſequentibus diverſiſſima, cui accedunt præterea florum parvitas, totius plantæ aliqua flacciditas, & momenta alia. Tota acri ſinapios ſapore gaudet. Radix Siſymbrii Læſelii eſt. Caulis teres, hic illic purpuraſcens, nitidns, firmus inferne, non ſtriatus, ſæpius ab ipſa baſi ramoſus, a pedali ad bipedalem altitudinem attollitur. Folia radicalia, quæ brevi marceſcunt, & caulina pleraque, ſunt pinnatifida, ſinuata, inæqualiter dentata aut ſerrata, petiolata, patentia, flaccida; lobis ut plurimum acutis, extremo majore & longiore. Summa haſtata, & quædam integerrima ac ſimplicia. Corymbi in racemos producuntur longiſſimos, modo rectos, modo flaccidos. Flores puſilli calycem habent patentem & flaveſcentem. Petala flava, obtuſa & oblonga ungues habent ſuberectos, ſupra hos patentiſſima.

Sta-

Stamina & ſtylus etiam flaveſcunt. Siliquæ graciles, ſubteretes, ad ſemina toruloſæ, & biunciales, brevibus inſiſtunt pedunculis, & quaquavorſum laxe patent. Semina minuta pallide flavent. Rarius creſcit in cultis & ad agros. Floret a Majo ad Julium. In margine exhibentur ſiliqua matura, ſemen, & auctus calyx cum corolla.

TABULA TRECENTESIMA VIGESIMA TERTIA.

SISYMBRIUM COLUMNÆ.
Siſymbrium Irio. *Crantz. faſc. pag.* 49.
Rapiſtrum montanum, Irionis folio, macroleptoceraton. *Col. ecphr.* 1. *p.* 266. *tab.*268.
Eryſimum anguſtifolium glabrum. *Bauh. pin.* 101.
Eryſimum leptomacroceraton, ſiliquis longiſſimis. *Moris. hiſt.* 2. *p.* 219. *s.* 3. *t.* 3. *f.* 4.
Sinapi Eryſimo Tragi cognatum ſive ſimile. *Bauh. hiſt.* 2. *p.* 857.

Planta annua ab uno ad tres pedes alta radicem habet ſimilem ſequenti. Caulis pallide viret, teres, ſubſtriatus, erectus, & molli breviſſimaque hirſutie magis minusve incanus. Folia radicalia & caulina inferiora ſunt pinnata, petiolata, utrinque ſubincana & mollia ob villos denſos brevitate vix conſpicuos; pinna extima majore obtuſa rotundataque, quæ in caulinis pinnatifidis ſubſequis eſt haſtato - triangularis & acuta; dein anguſtata valdeque producta. Plerique illorum foliorum lobi ad coſtam inferne lobulo augentur ſublanceolato erectoque. Folia caulina ſuperiora & ramea aliqua ſunt haſtata; ſumma ſimplicia integerrima & ſublinearia, quandoque glaberrima. Rami patent. Flores corymboſi calycina foliola habent ochroleuca, ad lentem villoſa, oblonga, concava, & ſemper erectiſſima. Petala pallide flavent, calyce duplo longiora, & ſupra hunc patentiſſima. Antheræ flavent. Pedunculi proprii patent. Siliquæ teretes, ſtriatæ, triunciales, pallide cinereæ patulæque, ad tactum aſperitatem habent aliquam, & ad microſcopium raros villos. Semina plurima, minuta, & compreſſula flaveſcunt. Creſcit paſſim ad vias & alibi. Floret æſtate. Semina matureſcunt Septembri. Ad latus ſiliqua matura & ſemen exhibentur.

TABULA TRECENTESIMA VIGESIMA QUARTA.

SISYMBRIUM LOESELII. *Linn. ſyſt. p.* 440. *Crantz. faſc. p.* 48.
Eryſimum hirſutum, ſiliqua Erucæ. *Loes. pruſ. p.* 69. *t.* 14.

Radix annua, albicans, calami craſſitie, quandoque ramoſa, quatuor plus minus uncias longa, modo recta, modo infra caulis exortum inflexa, & medullam habens ſublignoſam, caulem promit ſolitarium, erectum, teretem, unum alterumve pedem altum, inferne denſius folioſum, ſuperne magis minusve ramoſum, ſtriatum, totum quantum una cum ramis hiſpidum pilis albidis, deorſum tendentibus, nec multum rigidis. Folia totum caulem ramosque frequentia decorant, ad angulum acutum patula, petiolata, inferiora pleraque vere pinnata, reliqua pinnatifida, inæqualiter dentata aut ſerrata, in petiolis coſtaque media dorſali hirſuta, cæterum aut glabra aut etiam ad oras ſolas aut ubique hirſutula; lobis difformiter ſublanceolatis aut oblongis acutisque; extimo maximo, ſubtriangulari, rameorum plerumque haſtato. Floribus inodoris & corymboſis calyx eſt patentiſſimus, rariter piloſus vel glaberrimus, e viridi flavens. Petala lutea, calyce ad unam tertiam longiora, integerrima, obtuſiſſima, anguſte obverſe ovata, unguibus erecta, ſuperne patentiſſima. Antheræ ſunt luteæ. Pedunculi proprii patent, ſemipollicares, inferiores piloſi, ſuperiores glabri. Siliqua teres, ſeſquipollicaris, erecto - patula, glabra, gracilis, immatura minutim

ro-

toruloſa & ſæpe parumper incurvata. Semina plurima, puſilla. Creſcit ad aggeres, inque montanis. Floret a fine Maji ad Julium ineuntem. Adſtat ſiliqua matura cum ſemine.

TABULA TRECENTESIMA VIGESIMA QUINTA.

RANUNCULUS NIVALIS. *Linn. ſyſt. p.* 379. *Scop. carn.* 1. *p.* 396. *Crantz. faſc. p.* 117. *t.* 4. *f.* 3. & 4. *Linn. flor. lapp. pag.* 187. *tab.* 3. *fig.* 2. & 3.

Ranunculus caule unifloro; foliis glabris, reniformibus, ſemiquinquelobis. *Hall. hiſt. helv. num.* 1168.

Ranunculus ſaxatilis magno flore. *Scheuchz. it.* 1. *pag.* 46.

Tria poſſideo ſicca ſpecimina plantulæ Lapponicæ, ab illuſtri Linnæo miſſa; ab illuſtri Hallero plura Helvetica ſua; & numeroſa Auſtriaca, Carniolica, aliaque; ut habeam, a pygmæa plantula Lapponica ad Auſtriacam pedalem, ſeriem omnem intermediam; quæ niſi ſeries exiſteret, credas difficulter, Lapponicam (mea quadrant exemplaria ad amuſſim cum figuris Linnæanis) noſtratemque ad eandem referri ſpeciem oportere. Glaberrimæ ſunt Lapponicæ, ut ne vel minimam hirſutiem ope microſcopii detegam. Noſtrates pleræque hirſutæ, ut rara ſpecimina invenerim tota glabra. Tabula exhibet habitum, quo in ſubalpinis noſtratibus occurrit frequentius. Radix craſſitie calami vel digiti, unam alteramve unciam longa, nodoſa, fibris longis pallidisque jubata, horizontalis, foris albens vel ſordens, & perennis, ex altera extremitate cum foliis radicalibus paucis longeque petiolatis caulem gignit unicum plerumque, a palma ad pedem altum, erectiuſculum, ſimpliciſſimum & uniflorum, vel ramulo florigero auctum; teretem, hirſutum. Folia radicalia ſunt quinqueloba, utrinque rariter & vix ſenſibiliter ad oras autem magis hirſutula, lobis ſuperne latioribus & inciſis. Petioli ſunt hirſuti, canaliculati, & ad baſin vaginantes ac membranacei. Folia caulina ſunt ſeſſilia, in majore planta infimum quandoque petiolatum; & hoc ſubquinquelobum modo radicalibus ſimile eſt, modo lobos abludentes habet, interdum lanceolatos acutos & integerrimos. Reliqua omnino pauca in lobos lanceolatos profunde dividuntur. Calyx patentiſſimus ex quinis fit foliolis lanceolatis, acutis vel obtuſis, concavis, corolla fere duplo brevioribus, intus flavis, in dorſo pallidioribus villoſisque. Petala lutea, a quinque ad octo, obverſe & late ovata, patentiſſima, obtuſiſſima, nonnunquam emarginata, maculam ſupra unguem aurantiacam gerunt. Stamina ſunt lutea. Semina compreſſo-plana, glabra & ſtylo mucronata. Floret a Junio ad Auguſti finem pro varia ſoli elevatione. Ad latus adſtant fructus integer & ſemen.

TABULA TRECENTESIMA VIGESIMA SEXTA.

RANUNCULI NIVALIS VARIETATES.

Quandoquidem planta præcedens tantopere variet, haud erit abs re, ejus quædam in hac tabula proponere ſpecimina diſcrepantia. Culta quidem planta, præterquam quod paulo altior evadat, magisque divaricata, notabiliter non mutatur. Radicem vero mutatam vidi ſemper, quæ ex horiſontali teretique fit nodoſior, veluti tuberoſa, difformis, albidior, carnoſior, multiceps, prolifera, aut oblique aut perpendiculariter in terram pergens, cujusmodi ſemel atque iterum dumtaxat ſylveſtrem offendi, quam ipſam propterea in prima figura offero conſpiciendam, foliis etiam aliquatenus diverſam. Figura altera & tertia ſiſtunt radices plantæ cultæ. Quarta plantam ſylveſtrem totam glaberrimam. Quinta ſylveſtrem cum ſcapo aphyllo. Quæ binæ ultimæ ex minoribus ſunt noſtratibus.

TABULA TRECENTESIMA VIGESIMA SEPTIMA.

PRIMULA INTEGRIFOLIA. *Linn. ſyſt. p.* 151. *Jacq. obſ. part.* 1, *p.* 26. *t.* 15.
Primula foliis ciliatis, ellipticis, carnoſis, integerrimis. *Hall. hiſt. helv. num.* 615.
Auricula urſi quarta. *Cluſ. hiſt. pag.* 303.
Sanicula alpina rubeſcens, folio non ſerrato. *Bauh. pin.* 243.

Radix perennis, fuſca, ſæpe transverſa, calamum & ultra craſſa, fibris pallidis longisque jubata, & ætate multiceps folia gignit plura, craſſa, glabra, ſeſſilia, oblonga, ſuperne lateſcentia, nitida, acutiuſcula, integerrima, ad oras ciliis breviſſimis, ſola lente conſpicuis, ornata. Scapus erectus vel adſcendens, teres, ab unico ad quatuor flores umbellatos breviterque pedunculatos gerit, ſuffultos involucri oligophylli foliolis lanceolatis vel linearibus. Calycis tubus cylindraceus tubum corollæ fere æquat, ſuperne in quinque denticulos obtuſos erectos & ſubovatos diſſectus. Corollæ violaceæ vel purpureæ tubus nullo collo coarctatur, interne ad fauces villoſulus. Limbi quinquefidi laciniæ ſunt ſemibifidæ, patentiſſimæ, obtuſæ. Capſula nitida hæret in fundo calycis. Involucri foliola, ſcapi pars ſuperior & perianthium ad lentem villoſula ſunt. Statura valde differt, modo pumila, ut vix ſcapus adſit, modo ſemipedalis; propterea tria diverſa ſpecimina propoſui, inter quæ unum fructeſcit. Creſcit frequens in ſummis alpium jugis. Floret Junio & initio Julii. Sub finem Auguſti ſemina perficit.

Præter conſilium, quod in ſuſcipiendo hoc opere inieram, nihil adeo agendi, quod non ad ipſam plantæ deſcriptionem puram præciſe pertineret, hic aliquid de Primulis in univerſum breviter dicam. Earum hiſtoria nedum extricata eſt, & poſita extra dubium omne. Cluſianæ Auriculæ ſecunda & tertia Tyrolenſibus dijudicandæ ſunt. Reliquas Cluſianas jam mihi cognitas exiſtimo. Tum quidem optime illuſtris Hallerus, OEderus, aliique in tres diſtinctas ſpecies ſeparant Primulam veris Linnæanam, utpote partium ſtructura in cultis conſtante, inter ſe diſſimiles, quibuscum trivialia illuſtris Linnæi nomina, *Primula officinalis*, *Primula elatior*, & *Primula acaulis* ſtare poſſunt. Quarta ſpecies eſt *Primula farinoſa*, quam Hallerus Aretiis ſuis adnumerat. Atque omnes illas etiam Auſtria alit. Quinta ſpecies dici merito poſſet *Primula longiflora*, cujus mentionem clariſſimus Scopoli facit ſub Primula præcedente, cui toto habitu affinis eſt, ſed tubo imprimis corollæ omnium longiſſimo diverſa. Hanc Hallerus ſub numero 611 primus ceu ſpeciem vindicavit. Sexta erit *Primula Auricula*, floribus luteis perpetuo apud nos in loco natali conſpicienda. Septima ſpecies eſt hæc, de qua egi, *Primula integrifolia*, calyce tubuloſo longo & obtuſo foliisque ad lentem ciliatis donata; a qua omnino diſtinguenda venit planta OEderi in Floræ Danicæ tabula 188 depicta, gracilitate ſua, foliis petiolatis, calycibusque acuminatis & brevibus diverſiſſima, nec magis cum aliis Primulis concilianda, nova ſane & octava ſpecies, forte *Primula finmarchica* appellanda. Nonam ſpeciem, cujus figuram tabula quarta Appendicis ad Floram Auſtriacam exhibitura eſt, & quæ interea intelligi ex Cluſiana icone Auriculæ urſi ſextæ poteſt, conſtituit *Primula carniolica*, calycis brevitate, laciniis corollæ tantum emarginatis nec bifidis, & foliis nullatenus ciliatis, a Primula integrifolia alieniſſima. Decima ſpecies eſt *Primula glutinoſa* in Appendice ad Floram Auſtriacam tab. 26. deſcribenda, foliis odoratis glutinoſis & ſerrulatis foliolisque involucri maximis prædita, Cluſii Auricula urſi ſeptima, cujus iconem Pluknetius in tabulæ 149 figura 6 dedit. Undecimam ſpeciem facit *Primula minima* foliis nitidiſſimis glaberrimisque. Et, quæ a duabus præcedentibus iterum diſtinctiſſima eſt foliis villoſis totis, Hallero ſub numero 613 deſcripta, *Primula villoſa*, in Carinthiacis & Tyrolenſibus alpibus etiam obvia, in Appendicis ad hanc Floram tabula ſeptima & vigeſima ſiſtenda, & cujus majoris iconem Cluſius jam in Hiſtoria ſub Auriculæ urſi quintæ titulo dedit, ſpeciem facit duodecimam. Decima tertia ſpecies ſit Linnæana *Primula cortuſoides*, non viſa mihi planta. Quartam denique & decimam conſtituiſſet *Primula Vitaliana*, niſi foret nunc ad Aretias relata.

TA-

TABULA TRECENTESIMA VIGESIMA OCTAVA.

GENTIANA ASCLEPIADEA. *Linn. syst. p.* 199. *Scop. carn.* 1. *p.* 181.
Gentiana floribus campaniformibus; alis paucifloris; foliis ovato-lanceolatis. *Hall. hist. helv. num.* 640.
Gentiana secunda cæruleo flore, *Clus. hist. p.* 312.
Gentiana asclepiadis folio. *Bauh. pin.* 187. *Barr. ic.* 70.
Dasystephana. *Reneal. specim. p.* 67.

Speciosæ plantæ radix perennis, foris flavescens, intus alba, in crura plura longa digitumque crassa divisa, amara, fibrisque aucta, plures, quandoque vicenos & ultra, caules annuatim producit, herbaceos, erectos, unum alterumve pedem longos, glabros, teretes, simplicissimos, valde foliosos, sulco longitudinali utrinque exaratos, qui a lateribus quorumlibet foliorum superiorum ad proximi inferioris paginam pronam decurrit. Folia sunt opposita, sessilia, fere cruciatim locata, lanceolata, acuminata, quinquenervia, integerrima, glabra. Flores sessiles, axillares, erecti, solitarii, interdum gemelli, oppositi, in superiore caulis parte ad medietatem usque, intermedii primo florent, tum summi & infimi. Calyx est tubulosus, viridis, angulatus, quadridentatus vel quinquedentatus; denticulis linearibus, inæqualibus. Corollæ eleganter cæruleæ tubus longitudine calycis & angustus, hic ampliatur in figuram longe campanulatam & plicato-angulatam, tandemque panditur in limbum patentissimum quinquefidum ex laciniis triangularibus acutis brevibus cum interjectis denticulis subrotundis. Antheræ conglutinatæ & ochroleucæ. Stigma simplex, acutum. Capsula glabra. Semina parva, cincta membranula. Crescit passim in pascuis subalpinis. In sylvis umbrosis nascitur frequens varietas, cujus folia sunt in acumen producta longius, disticha, & flores in caule nutante secundi superiora spectant. Floret Augusto & Septembri, sub cujus finem semina maturescunt. Adduntur folium ex loco umbroso, petalum apertum fissumque, & variantes calyces.

TABULA TRECENTESIMA VIGESIMA NONA.

VERONICA MULTIFIDA & AUSTRIACA. *Linn. syst. p.* 58. *Scop. carn.* 1. *p.* 16.
Veronica pratensis. *Crantz. fasc. pag.* 344. *a a.*
Veronica montana, folio vario. *Buxb. cent.* 1. *p.* 24. *t.* 38.
Chamædrys austriaca, foliis tenuissime laciniatis. *Bauh. pin.* 248. *prodr.* 117.
Chamædrys spuria tenuissime laciniata. *Bauh. hist.* 3. *p.* 287.

Semel atque iterum in Austria inventa fuit, multo frequentior in Styria atque Carniolia. Radix perennis & multiceps plures caules emittit, erectiusculos aut adscendentes, teretes, villosos, a tribus unciis ad sesquipedem altos. Folia sunt varie multifida, mireque ludunt in diversis individuis, ut verissime clarissimus Scopoli multifidam austriacamque Linnæi pro una eademque specie habuerit. Culta mihi planta ex eodem semine utramque dedit. Divisio itaque foliorum multiplex semper adest, si non semper cunctorum, saltem quorundam, modo superiorum, modo inferiorum, quæ nota hanc sufficienter ab affinibus distinguit. Icon prima exhibet plantam foliis maxime laciniatis & acutioribus donatam. Altera eandem pumilam, florescentiæ proximam, loco ficciori enatam. Tertia partem caulis cum foliis obtusioribus. Quarta caulem sterilem cum foliis superioribus ternis, ubi una tertia inferior pars caulis deficit, quæ folia habebat divisa, veluti in icone prima, quare omisi. Caules autem fertiles omnino erant similes. Tres priores ex Carniolia sunt. Quarta est ex montibus Styriacis. Icon quinta sistit plantam Austriacam, ex ficco specimine meo desumptam, quum hodie ultra reperire non potuerim. Racemi longi in alis foliorum superio-

riorum, quando caulis folioſus poſtea pergit elongari. Calycis foliola quinque, linearia, ad lentem pilis albis ciliata, inæqualia. Petali pallide cærulei vel ſaturatius ſtriati laciniæ tres ſuperiores ſunt ovatæ, latiores & fere æquales; infima lanceolata & anguſtior; omnes obtuſiuſculæ. Filamenta pallent. Antheræ ſunt cyaneæ. Capſula ſcabriuſcula & ſubcordata. Floret Junio & Julio. Semina matureſcunt Auguſto. Ad marginem conſpiciuntur calyx, capſula, & aucta calycini folioli pars.

TABULA TRECENTESIMA TRIGESIMA.

ANDROSACE ELONGATA. *Linn. ſyſt. p.* 150. *Jacq. obſ. part.* 1. *pag.* 31. *tab.* 19.

In locis herbidis agri Viennenſis, & vel ipſis in ſuburbiis ſponte creſcit, florens Aprili, ſemina Junio perficiens, annua planta, modoque puſilla valde in gramine denſiori, cujusmodi exhibita minor eſt, modo ſcapos proferens plures altiorque. Ex radice fibrilloſa & tenui folia radicalia in orbem ſparguntur plura, lanceolata vel oblonga, acuta, ſupra medium rariter ſerrata, etiam quædam integerrima, craſſula. Hæc, uti etiam ſcapi, pedunculi, involucri foliola calycesque externe obducuntur villo breviſſimo & ad ſolam conſpicuo lentem. Scapus intermedius erigitur, reliqui ſunt patentiſſimi. Pedunculi umbellati, valde graciles, inter ſe inæquales, ſemper numero incerto plures, in fructu admodum elongantur. Involucrum componitur ex foliolis fere totidem, quot ſunt pedunculi, lanceolatis, acutis, plerisque integerrimis. Perianthium patens viret, nec in fructu notabiliter augetur. Corolla calyce duplo minor, in lacinias dividitur leviter emarginatas albasque; tubus flavet. Semina ſunt atra. In tabula etiam adſtant petalum, calyx fructiger & ſemen; tum corolla aucta.

TABULA TRECENTESIMA TRIGESIMA PRIMA.

ANDROSACE MAXIMA. *Linn. ſyſt. pag.* 150. *Scop. carn.* 1. *p.* 130.
Androſace ſtipulis quinis ampliſſimis. *Hall. hiſt. helv. num.* 624.
Androſaces altera Matthioli. *Cluſ. hiſt. CXXXIV.*
Androſaces altera. *Cam. epit. pag.* 639.

Annua planta ex radice tenui folia plura in orbem poſita promit, ſubovata, ſeſſilia, acuta, ſupra medium argute ſerrata, craſſula, pallide virentia, ad oras quandoque rubentia. Scapi a duabus ad ſex uncias longi, plures, erectiuſculi, rubelli, villoſuli, teretes, in umbellam terminantur, ſuperiora verſus incraſſati. Involucri foliola plura figuram ferme obverſe ovatam habent, cæterum foliis radicalibus ſimilia. Calycis tubus villoſior pallet; laciniæ autem patentes virent, ovatæ, acutæ, ſerrulatæ, in fructu multo ampliores & ruſæ. Corollæ calyce duplo fere brevioris tubus flaveſcit; laciniæ obverſe ovatæ & integerrimæ albent. Semina ſunt nigra. Creſcit in agris, inter ſegetes, in cultis, inque ſaxoſis; pro ſoli bonitate varians ſtaturæ altitudine. Floret Aprili & initio Maji. Junio ſemina matureſcunt. Depinguntur etiam in tabula corolla, ſcapus fructiger, & ſemen.

TABULA TRECENTESIMA TRIGESIMA SECUNDA.

ANDROSACE VILLOSA. *Linn. ſyſt. pag.* 150. *Scop. carn.* 1. *p.* 130.
Aretia foliis ovatis, villoſis; ſcapis umbellatis. *Hall. hiſt. helv. num.* 620.

Se-

Sedum minus decimum, alpinum quartum. *Cluſ. hiſt. LXI.*
Chamæjasme alpina. *Bauh. hiſt. 3. pag. 853.*

Summarum alpium noſtrarum incola haud infrequens ex radice perenni fuſca fibroſa gracili & multicipite plures foliorum roſulas, denſo interdum ceſpite contiguas, generat; quæ ſunt craſſula, ex oblongo lanceolata, obtuſa vel magis acuta, integerrima, pallide virentia, villis mollibus ciliata, cæterum glabra. Scapus ut plurimum unicus, biuncialis, hirſutus, erectusque aliquot umbellatim ſuſtinet flores pedunculatos, a duobus ad octo, involucro foliorum fere pentaphyllo, radicalibus ſimilium, ſuffultos. Calyx hirſutus totus erigitur. Corollæ tubus flaveſcens illum æquat longitudine, inque limbum expanditur album, tandem purpureum, ex laciniis obverſe ovatis & integerrimis aut ſubemarginatis, rarius ſenis. Faux lutea eſt. Capſula glabra, nitida, ſubrotunda, apice depreſſa, calycem æquat. Floret Julio & Auguſto. Planta minor ſylveſtrem, cultam major repræſentat.

TABULA TRECENTESIMA TRIGESIMA TERTIA.

ANDROSACE LACTEA. *Linn. ſyſt. pag. 150. Scop. carn. 1. p. 131.*
Aretia foliis gramineis; ſcapis paucifloris. *Hall. hiſt. helv. num. 622.*
Sedum minus nonum. *Cluſ. hiſt. LXI.*
Sedum alpinum alterum. *Col. ecphr. 2. pag. 64.*
Phyllo Dalechampii aliquatenus ſimilis. *Bauh. hiſt. 3. p. 754.*

Radix fibroſa, perennis & multiceps per graciles ramulos ceſpitoſe plures roſulas foliorum generat, quæ ſunt linearia, acuta, craſſula, plana, nitida, integerrima, & ad lentem obſoletius ciliata. Scapus filiformis, unicus vel plures ex eadem roſula, viridis, glaber, erectus, unico flore vel paucis terminatur umbellatis. Involucri foliola in multifloris plerumque tot ſunt, quot flores, lanceolata acuta concava & glabra; in unifloro caule aut ſemper bina, aut plane nulla. Pedunculi tenues & longi. Calycis virentis & ſemiquinquefidi tubus eſt pentagonus & campanulatus. Petali laciniæ obverſe cordatæ, amplæ, emarginatæ, niveæ; tubus flavus. Capſula nitida, magnitudine calycis. Creſcit frequens in alpibus. Floret Julio & Auguſto. Major planta cultam, minor ſylveſtrem exhibet mediocris ſtaturæ.

TABULA TRECENTESIMA TRIGESIMA QUARTA.

ANTHYLLIS MONTANA. *Linn. ſyſt. pag. 480.*
Vulneraria montana. *Scop. carn. 2. p. 56.*
Vulneraria caule procumbente; foliis pinnatis, ſericeis, ovato - lanceolatis; umbellis terminantibus. *Hall. hiſt. helv. num. 397.*
Aſtragalus incanus tomentoſus, pallido globoſo flore. *Barr. ic. 722.*
Aſtragalus purpureus. *Dalech. hiſt. 1347.*
Aſtragalus villoſus, floribus globoſis. *Bauh. pin. 351.*
Aſtragalus monſpeliano candidior, & Onobrychis quorumdam. *Bauh. hiſt. 2. p. 339.*
Barba Jovis pumila villoſa, flore globoſo purpureo. *Breyn. prodr. 1. p. 48. Garidel. hiſt. pag. 55. t. 13.*

Radix lignea, longa, digitum craſſa, interdum intorta, foris ex fuſco nigreſcens; intus albida, in montibus altioribus rupium fiſſuris innaſcitur, caulemque gignit brevem, multicipitem, fuſceſcentem, fruticuloſe perennantem & procumbentem. Hinc cauliculi plu-

res

res oriuntur, novelli herbacei, postea etiam lignosi, petiolis & vaginis foliorum præteritorum emarcidis stipulati, dein dense foliosi; tandem vere herbacei, annui, suberecti, graciles, teretes, villosi, incani, tres quatuorve uncias alti, sive in istiusmodi pedunculos elongati, terminatique capitulo florum erecto. Folia sunt utrinque sericea ac incana, petiolis albidis & amplexantibus innixa, & pinnata ex foliolis cum terminante impari utrinque a decem ad viginti, subpetiolatis vel sessilibus, oblonge lanceolatis, acutis, parvis & integerrimis. Involucrum sub capitulo constat bracteis numero incertis, fere quinis, in lacinias a duabus ad novem incisis anguste lanceolatas acutas incanas villosas florumque longitudine. Calycis subinfundibuliformis, petalo ad unam tertiam brevioris, nec inflati, tubus viret; laciniæ autem quinque, subulatæ, subæquales, tubo longiores, erectæ, purpureæque pilis longis dense obsidentur; quarum superiores duæ pauxillo minus profunde inciduntur. Vexillum obverse ovatum, obtusum, integrum, pallens cum striis purpureo-rubris, patensque superne, inferne connivet, hinc abrupte in unguem angustum desinit. Alæ carneæ, ex purpureo striatæ, oblongæ, obtusæ, & erectæ, carinam superant, vexillo breviores. Illa ovata, pusilla, ungue duplici tenuissimo prædita, ad apicem sanguinea est, cæterum cum virore pallet. Stamina diadelpha. Germen lineare, teres, glabrumque terminatur in stylum subulatum & incurvum. Legumen glabrum & calycis longitudine ex paucis seminibus unicum perficit. Floret Majo. Semina Julio perficit. In tabula ad latus sistuntur seorsim calyx, vexillum, ala & carina.

TABULA TRECENTESIMA TRIGESIMA QUINTA.

VERATRUM ALBUM. *Linn. syst. pag.* 668. *Scop. carn.* 2. *p.* 272. *Dod. purg. p.* 114.
Veratrum spica paniculata, floribus maribus & fœminis. *Hall. hist. helv. num.* 1204. *Mill. ic.* 271.
Elleborus albus exalbido flore. *Clus. hist. p.* 274.
Elleborum album. *Matth. diosc. pag.* 1219.
Helleborus albus flore subviridi. *Bauh. pin.* 186.

Caulis teres, a duobus ad quatuor pedes altus, digitum crassus vel tenuior, fere totus foliorum vaginis vestitus, inferne glaber, superne villosus, basi bulbosus forisque nigrescens, hinc fibras crassas albicantes numerosas longasque in terram demittit. Folia ex vagina stricte amplexicauli oriuntur, nervosa, lineata, plicata, integerrima, facie virentia & glabra, dorso villosa & magis pallida; inferiora late ovata & obtusa, superiora lanceolata & acuta. Racemus caulem terminat erectus, compositus, subpedalis, racemis partialibus modo simplicibus, modo ramosis ut paniculatus evadat racemus universalis, idque vel rarius vel copiosius. Racemi villosi stipulis foliaceis, flores singuli suffulciuntur bracteolis. In eadem individua planta adsunt flores hermaphroditi fertiles; & alii steriles pauci prioribus immixti, quibus pistillum exiguum, præsens tamen, abortat. Petala albida, ad oras serrato-villosula, dorso magis virent, ibidemque etiam villos habent, in vegeto statu suo semper omnino patentissima, nec erecta. Antheræ flavent. Filamenta post fœcundationem eriguntur, & styli recurvati producuntur amplius. Reliqua sunt ad characterem Linnæanum, & fructus cum sequente congruit. Crescit in pratis subalpinis udis copiosissime, tum in aliis montanis, florens Julio & Augusto, semina dans Septembri. In icone pars caulis media desideratur. Additur flos seorsim pictus.

TABULA TRECENTESIMA TRIGESIMA SEXTA.

VERATRUM NIGRUM. *Linn. syst. pag.* 668. *Scop. carn.* 2. *p.* 272.

El-

Elleborus albus alter, flore ex purpura nigricante. *Clus. hist. p.* 274.
Helleborus albus, flore atrorubente. *Bauh. pin.* 186. *Moris. hist.* 3. *p.* 485. *s.* 12. *t.* 4 *f.* 1.

Speciosa planta meretur tota sisti, ut a Veratro albo, cujus esse varietatem haud recte aliqui suspicati sunt, evidentius discernatur. Radix oblonga, præmorsa, digitum crassa & perennis fibras ex toto ambitu copiosas crassas & pallide flavescentes generat; caulemque plus minus tripedalem, erectum, annuum, digiti crassitie, obsolete angulatum, basi a foliis præteritis setosum, simplicem, firmum, virentem, totumque villo rudi asperiusculo vestitum. Folia radicalia & caulina inferiora ex petiolo ortum ducunt vaginante, ovalia, valde plicata, utrinque acuta, integerrima, glabra; subsequa sunt sessilia & longe spathulata; reliqua omnia sublinearia & superiora successive breviora. Racemus terminalis longior erigitur; & alii breviores racemi per maximam caulis partem, solitarii & ad angulum acutum patuli, ex foliorum alis egrediuntur; omnes, uti caulis, villosi, cylindrici, stricti, dense multiflori, simplicissimi, infimi solummodo (nec semper) inferne uno alterove ramulo aucti. Pedunculi proprii breves patent ad angulum rectum. Flores fœtent, olentque vinum vel acetum corruptum. Petala sunt purpureo-atra, integerrima, patentissima, subovata, nitida, tria interiora angustiora. Filamenta petalis concoloria sunt, paulo breviora. Antheræ saturatissime rubent, effœtæ magis pallent. Pollen flavet. Germina ovata, parva, acuta glabraque virent. Flores racemorum superiores videntur masculini, quum abortant; sed etiam sæpe abortant racemi integri; summus tamen racemus terminalis semper inferne fructum gerit. Difficile de sexu judicium est, quandoquidem in floribus fertilibus ipsis germina tardius prodeunt, quæ in principio abesse videntur. Tum etiam, quod non minus pistilla sic prodire observaverim in floribus, qui tamen fructus nullos tulere. Capsulæ tres, erectæ, fuscæ, glabræ, obtusæ, & interne longitudinaliter dehiscentes, semina continent pauca ovata inque marginem membranaceum excurrentia. Crescit in montosis sylvaticis. Floret Julio & initio Augusti, semina perficiens Septembri.

TABULA TRECENTESIMA TRIGESIMA SEPTIMA.

THLASPI PERFOLIATUM. *Linn. syst. pag.* 434. *Crantz. fasc. p.* 22. *Gerard. prov. pag.* 349. *num.* 6.
Thlaspi alpestre. *Linn. syst. pag.* 434.
Thlaspi arvense perfoliatum majus & minus. *Bauh. pin.* 106.
Thlaspi oleraceum. *Tabern. ic.* 462.
Thlaspi alterum mitius rotundifolium, Bursæ pastoris fructu. *Col. ecphr.* 1. *p.* 273.
Thlaspi cordatum minus, flore albo, insipidum. *Barr. ic.* 815.
Nasturtium foliis imis ovatis, reliquis amplexicaulibus cordatis. *Hall. hist. helv. num.* 510.

Annua planta, parum sapida, tota glaberrima & glauca, ex radice albida tenuique aut caulem plerumque solitarum simplicissimumque emittit, aut rarius plures eosdem, etiam permultos, ramososque, quo scilicet magis pingui crescit solo; altitudine hinc etiam varians a triunciali ad pedalem; dum communius in macilentioribus locis, collibus, agris, vineis, saxosisque frequens in agro Viennensi crescere soleat; flores Aprili & initio Maji, semina gerens matura ante Maji finem, quo planta disparet. Folia sunt tenuissime & obiter denticulata, aut integerrima; radicalia subovata aut magis subrotunda & petiolata; caulina sessilia, alterna, ovata, basibusque productis amplexicaulia. Flores perexigui sunt. Calycis foliola sunt ovata, valde concava, obtusiuscula, & erecto-patula. Petala nivea ex unguibus brevibus successive abeunt in laminas oblongas, obtusissimas, calyce paulo longiores, planas & patentissimas. Filamenta longiora calycem leviter superant. Antheræ sunt luteæ. Stylus brevissimus stigmate coronatur capitato. Fructuum racemus admodum elongatur. Silicu-

la obverſe cordata, concava, horizontaliter ex pedunculo patens, ſtyloque carens, in quolibet loculamento ſemina includit circiter quina, flaventia & ſubrotunda. Tabula ſiſtit ſpecimen majuſculum unicaule, aliudque ex minus ramoſis; tum ſemen; & auctum florem.

TABULA TRECENTESIMA TRIGESIMA OCTAVA.

ALYSSUM CALYCINUM. *Linn. ſyſt. pag.* 436.
Alyſſum foliis ellipticis ſcabris, calycibus perſiſtentibus. *Hall. hiſt. helv. num.* 494.
Alyſſon. *Cam. epit. p.* 558. *f.* 1.
Alyſſon minimum. *Cluſ. hiſt. pag. CXXXIII.*
Clypeola alyſſoides. *Crantz. faſc. p.* 19.
Adyſeton calycinum. *Scop. carn.* 2. *p.* 13.
Thlaſpi Alyſſon dictum campeſtre m jus. *Bauh. pin.* 107.
Thlaſpi Alyſſon incanum, luteum lunato utriculo. *Barr. ic.* 908. *f.* 2. & 912. *f.* 2.

Ex radice annua, tenui, albente & triunciali caules enaſcuntur plures, etiam non raro unicus, baſi procumbentes, cæterum erecti, teretes, folioſi, ſimpliciſſimi, ſemipedales, ſuperne in racemum ſucceſſive producti. Folia ſunt oblonga, verſus baſin anguſtata, obtuſa, inordinate ſparſa, ſubſeſſilia, erecta, craſſula, plus minus ſemuncialia, integerrima. Flores inodori, denſe corymboſi, pedunculati. Calycis in fructu initio perſiſtentis foliola ſunt craſſa, erecta, & ad lentem valde piloſa. Petala ex lineari-oblonga, calyce paulo longiora, emarginata, foris piloſa, inferne pallent & eriguntur, ſupra calycem vero lutea tantiſper patent; tandem marceſcendo albent tota. Filamenta ſex, ſimpliciſſima, in quibus nec dentis nec ſquamæ veſtigium invenio, ſubulata, ſubflaveſcentia, quorum quatuor paulo longiora. Ad latus unumquodque utriusque ſtaminis brevioris ex receptaculo communi enaſcitur filamentum ſterile capillare duploque brevius. Antheræ ſunt luteæ. Germen villoſum, compreſſum. Stylus craſſior & brevis. Stigma ſimplex, obtuſum. Silicula orbicularis, compreſſa, obſolete emarginata, ſtylo coronata, ferme glabra, in utroque loculamento ſemina rufa includit duo, aut alterutro abortante unicum. Cauliculi, folia & calyces ſunt aſpera ſubhiſpidula & cinerei viroris. Creſcit frequentiſſime & ubique in macris locis, ad vineas vias muroſque. Floret Aprili & Majo. Semina Junio matureſcunt. Additur in tabula ſilicula cum ſemine; tum piſtillum cum ſtaminibus auctum, auctusque minore proportione flos.

TABULA TRECENTESIMA TRIGESIMA NONA.

BISCUTELLA LÆVIGATA. *Linn. mant. pag.* 255.
Biſcutella didyma. *Scop. carn.* 2. *pag.* 14.
Biſcutella ſilicula lævi; foliis aſperis, dentatis. *Hall. hiſt. helv. num.* 501.
Clypeola didyma. *Crantz. faſc. pag.* 20.
Thlaſpi clypeatum. *Cluſ. hiſt. p. CXXXIII.*
Leucoium alyſſoides umbellatum montanum. *Col. ecphr.* 1. *p.* 283.

Ex ſaxoſis demiſſis montium locis ad ſumma usque alpium juga adſcendit, ſemper ſtatura minor, a ſesquipedali ad ſemipedalem altitudinem decreſcens; ut in tabula florens planta mediocrem aliquam referat, fructeſcens alpinam. Tota acris eſt. Radix perennis, longa, teres, ſæpe ramoſa, calamum craſſa, vix lignoſa, & multiceps, plures quotannis caules gignit erectos, teretes, glabros vel hirſutos, ut plurimum inferne ſimplices & ſuperne ramoſos. Flores in principio ſunt ſubumbellati, tandem racemoſi, odorati. Calycis gla-

glabri foliola ex flavo virent, etiam omnino flavent, oblonga, obtuſa, valde concava, patula, decidua, ad baſin æqualia. Petala oblonga, obtuſa, calyce duplo longiora, & patentia flavent. Filamenta flava gerunt antheras luteas. Piſtillum viret. Silicula didyma, tota glaberrima, plana, ſtylo coronatur; quam in alpibus etiam vidi trialatam & quadrialatam, qualis depicta eſt. Folia ſunt oblonga, baſi attenuata, obtuſa vel acutiuſcula, craſſula, pauciſerrata vel integerrima, pilis albis utrinque hirta vel læviora & quandoque vix notabiliter piloſa; radicalia plura; caulina minora, ſeſſilia, magisque integra. Floret in locis demiſſioribus Aprili & Majo, in ſummis alpibus Julio & Auguſto.

TABULA TRECENTESIMA QUADRAGESIMA.

BUNIAS ERUCAGO. *Linn. ſyſt. pag.* 446.
Bunias ſilicula tetragonia, alis quatuor emarginatis. *Hall. hiſt. helv. num.* 526.
Eruca monſpeliaca, ſiliqua quadrangula echinata. *Bauh. pin.* 90. *prodr.* 41.
Sinapi echinatum. *Bauh. hiſt.* 2. *p.* 856.

Inter ſegetes rarior in Auſtria inferiore, in ſuperiore frequentior, variabilis planta, ſæpius illo, quo exhibui habitu, florens, poſtea in longiſſimos racemos divaricata, cujusmodi adſtat racemus ad latus, fructibus nedum maturis onuſtus. Radix annua & tenuis. Folia radicalia & caulina inferiora ſunt oblonga, obtuſa, ſuperne lateſcentia, modo aſperrima, modo parum aſpera, in petiolum attenuata, dentata, idque nunc obiter, nunc pinnatifide, uti in folio adjecto ſolitario. Caulina ſuperiora & ramea ſunt ſeſſilia & fere integerrima. Culta in horto meo Schemnitzii receſſit quam maxime a ſtatura ſolita foliis amplis; radicalium, cujusmodi non coloratum in tabula adjicitur, laciniis obtuſis; caulinorum laciniis lanceolatis, acutis, extrema haſtata. Porro caulis ramoſus eſt, teres atque aſperiuſculus. Pedunculi proprii patent. Foliola calycis ex flavo virent, oblonga, concava, obtuſa, erecta, decidua, glabra. Petala ex ungue erecto paulatim expanduntur in laminam planam, emarginatam, flavam & ſupra calycem patentiſſimam. Antheræ ſunt luteæ. Germen oblongum & teres, tuberculis veluti glacialibus adſpergitur. Stylus longitudinem germinis habet. Silicula dura, ante maturitatem cortice ſucculento donata, non dehiſcens, compreſſiuſcula, tetraëdra cum angulis bicriſtatis, glabra, poſt maturitatem a pedunculo perſiſtente decidua, ſtylo ſubulato acuminata, quadrilocularis cum diſſepimento duro ligneſcente pellucidoque. In quolibet loculamento ſemen hæret ſolitarium, ex ſubrotundo acutum, ſaporis ſinapini, rufeſcens. Loculus aliquis nonnunquam eſt obliteratus, deficiente tunc ſemine. Transverſim ſecta ſilicula videtur dumtaxat bilocularis, atque ex origine analogica etiam talis eſt; quadrilocularis enim evaſit, quia ſeptum aliquod transverſum, quod hic ſolidum, in aliis pluribus ſiliquis mera medulloſa ſubſtantia eſt, ſeparat ſemina duo ſuperiora a ſeminibus duobus inferioribus. Hinc ſi quatuor ſemina ſimul videre quis cupiat, diſcindat, oportet ſiliculam longitudinaliter, cultrum adaptans alterutri lateri anguſtiori, uti hoc factum fuit in ſilicula ſeorſim depicta; ſi ſola duo, lateri adaptet latiori in vicinia ſuturæ hic obſcure conſpiciendæ, nec in ipſa ſutura, quum in illa præciſe diſſepimentum genuinum locetur. Floret Junio & Julio.

TABULA TRECENT. QUADRAGESIMA PRIMA.

VIBURNUM LANTANA. *Linn. ſyſt. p.* 218. *Scop. carn.* 221.
Viburnum foliis ovatis, ſerratis, ſubtus tomentoſis. *Hall. hiſt. helv. num.* 669.
Viburnum. *Cam. epit. p.* 122.

Viburnum vulgo. *Bauh. pin.* 249.
Lantana. *Dod. pempt.* 6. *l.* 2. *c.* 21.

Trunci plures ex eadem radice exoriuntur, brachium tandem craſſi, cortice veſtiti rugoſulo & fuſco, ligno albido duroque. Rami cinerei, admodum lenti, ut circa digitos volvi ſe patiantur, ſæpe oppoſiti; juniores tomentoſi & ex fuſco virentes. Folia ſunt ovata, oppoſita, petiolata, argute dentato-ſerrata, acuta, venoſa, dorſo ex incano virentia, utrinque & imprimis ad nervos dorſales breviſſime piloſa. Cymæ denſæ, pedunculatæ, ſolitariæ, terminales in ramis junioribus, compoſitæ ex radiis plerumque ſenis & uno centrali; omnibus primo ſubtrifidis, dein cymoſe & inæqualiter multifloris. Pedunculi omnes ſunt teretes & villoſi, ad quorum diviſiones, uti ad ipſa etiam germina, bracteæ adſtant ſubulatæ marceſcentes & caducæ. Flores odorati, plerique pedunculati, pauci ſeſſiles, quidam mihi viſi maſculi & ſteriles hermaphroditis immixti. Corolla alba cum laciniis obtuſis. Filamenta alba corollam ſuperant. Antheræ luteæ. Germina oblonga, glabra, valde compreſſa, coronantur caliculo quinquedentato. Bacca ſub finem Julii rubere incipit, ſub finem Auguſti atrum induere colorem, tunc mollis, nitida, parum compreſſa, pulpam includens fuſcam, acidulo-dulcem, & ſemen unicum, compreſſum, albidum, ovatum, utrinque ſulcatum, ſapore adſtringente donatum. Etiam immaturus ruber fructus valde auſterus eſt. Creſcit in ſylvis. Floret Majo ineunte.

TABULA TRECENT. QUADRAGESIMA SECUNDA.

PYRUS CYDONIA. *Linn. ſyſt. pag.* 344.
Sorbus Cydonia. *Crantz. faſc. pag.* 93.
Malus cotonea ſylveſtris. *Bauh pin.* 435.

Creſcit ad vias publicas, in ſepibus & fruticetis, vere ſylveſtris, florens initio Maji, frutex a tribus ad octo pedes altus, ramoſus & diffuſus. Rami ſunt fuſci & glabri; juniores virides & villoſi terminantur flore breviter pedunculato & ſolitario. Calycis villoſi & perſiſtentis laciniæ ſunt ovatæ, acutæ, ſerrulatæ, & patentes vel reflexæ. Petala ampla, pallide roſea, obtuſiſſima, patula, & calyce duplo fere longiora. Filamenta pallent aut purpuraſcunt. Styli quinque albent cum ſtigmatibus capitatis flaviſque, & ad baſin veſtiuntur lana omnino denſiſſima. Fructus ſubrotundus, calyce emarcido coronatus, odoratus, flavus, tomentoque pulverulento cinereo ultroque ſecedente tectus, illam in ſylveſtri ſtirpe plus minus figuram & magnitudinem habet, qua in tabula depingitur, cæterum nimis vulgo notus, quam qui prolixiorem deſcriptionem exigat, maturus ſub finem Septembris & Octobri.

TABULA TRECENT. QUADRAGESIMA TERTIA.

ORNITHOGALUM UMBELLATUM. *Linn. ſyſt. p.* 243. *Scop. carn. p.* 243.
Ornithogalum ſtipulis maximis, petiolis lateralibus longiſſimis. *Hall. hiſt. helv. num.* 1215.
Ornithogalum umbellatum medium anguſtifolium. *Bauh. pin.* 70.
Heliocharmos. *Renealm. pag.* 88.

Bulbus ſubrotundus, albus, ex ſquamis denſe compactus, numeroſam bulbillorum prolem ſub extima tunica gignit, brevi pedicelli ope, qui futuræ radicis rudimentum eſt, fundo matris adhærentium. Folia radicalia ſunt pauca, linearia, ſtriata, carinata, debilia, & hinc terræ ſæpius incumbentia, a quinque ad decem uncias longa. Scapus foliorum longitudine, teres, erectus, ſuperne laxe racemoſus. Bracteæ ad pedunculos membranaceæ,

plus

plus minus unciales. Pedunculi paulatim elongantur ita, ut florem expanſum gerentes attollantur ad altitudinem interiorum, quo tunc cum his formetur corymbus; poſtea longiſſimi patentiſſimique evadant. Floribus inodoris petala ſunt intus alba, foris virentia cum limbo albente, interiora tria anguſtiora. Filamenta omnia ſunt plana, lata, acuta, tria petalis latioribus antepoſita anguſtiora; nulla vel minimum unquam emarginata aut trifida. Germen ſexangulare viret cum vertice flavo. Capſula oblonga, obtuſa, trilocularis & trivalvis continet ſemina pauca ſubrotunda & atra. Creſcit in pratenſibus. Floret Majo & initio Junii. Sub finem Junii perficit fructum.

TABULA TRECENT. QUADRAGESIMA QUARTA.

EUPHORBIA EPITHYMOIDES. *Linn. ſyſt. pag.* 333.

Lacte candido tota turget. Radix lignoſa, perennis, foris nigra, intus albida, ex capite per ætatem inæquali & craſſo crura oblique demittit pauca ſemipedalia aut longiora; cauleſque attollit plures, annuos, teretes, ſimplices, erectos, pedem dimidium vel integrum altos, molliter denſeque piloſos. Veſtiuntur foliis pluribus, ſparſis, oblongis, obtuſis, patentibus, ſeſſilibus, ad oculum nudum integerrimis, ad armatum obſolete ſerratis, utraque in pagina & ad oras per pilos albidos mollibus. Umbella quinquefida caules terminat ſingulos, breviores autem magisque ſerotinos quadrifida dumtaxat aut trifida; cum floſculo centrali pedunculato erecto & ſterili. Involucri foliola ſunt quina, foliis caulinis ſimilia fere, interdum emarginata. Involucellorum ſunt foliola alia prioribus ſimillima, alia magis ovata. Umbellulæ in quolibet radio numerantur ternæ cum floſculo centrali pedunculato, ex integro fertiles. Harum duæ exteriores ſunt iterum bifidæ cum floſculo medio; tertia autem, quæ interior eſt, uniflora non dividitur, involucello tamen diphyllo donata. Ut itaque progreſſiva hujus plantæ diviſio florigera ſit quinquefida: trifida: ſubbifida; a qua paucæ plantæ, neque hoc magnopere, abludunt. Præterea magis luxuriantes cauliculos rami ex foliorum ſuperiorum alis triflori nonnunquam exornant. Caules folia & involucra frequenter rubedine magis minuſve tinguntur; alias etiam tota planta livide rubet. Calyx campanulatus, glaber, flavus, ſemiquinquefidus: laciniis oblongis, conniventi-canaliculatis, erectis, & ſuperne dentatis. Petala ſunt lutea, orbiculata, concava, integerrima, patentiſſima, ad dorſum calycis flexa, numero varia; in floribus enim ſterilibus, germine carentibus, ſemper inveni quina, in fertilibus autem tria, duo vel quatuor. Germina erecta craſſis villis tota obſidentur, ſuperioribus ex aurantiaco rubentibus. Styli craſſi etiam eriguntur. Capſula hirſute muricata continet ſemina fuſca ſubrotunda & glabra. Creſcit in collibus aſperis, florens Majo & Junii initio, ſemina ferens Julio. In latere tabulæ adduntur capſula & ſemen; tunc flos auctus. Figura Columnæ, pro hac planta in ſynonymia Linnæana citata, a mea, quæ certiſſime Linnæi planta eſt, mihi videtur ob fructus longiſſime pedunculatos ſive a flore diſtantes aliena.

TABULA TRECENT. QUADRAGESIMA QUINTA.

EUPHORBIA SAXATILIS.

In ſaxis montoſis creſcit, florens Majo & Junio, Julio fructeſcens, tota glabra, lacte turgens candido, quod guſtatum, in principio mite, tandem moleſta acredine diu os fauceſque afficit. Ex radice perenni, nigricante, & ramoſa, cauliculus enaſcitur unus alterve procumbens, qui ramulos plures adſcendentes emittit, roſula terminatos folioſa, dum folia ſeniora in ramulorum elongatione ſucceſſive cadunt, hinc cicatriculis numeroſiſſimis inæqua-

 les,

les, rubentes, unum alterumve annum ſic perennantes, tandemque ſolutos in umbellam florentem, & pereuntes marceſcendo poſt maturatum fructum, quando novi ſuccedunt emortuis. Rami florentes a tribus ad ſex uncias longi umbellam gerunt quinqueſidam, aut minus diviſam, umbellulis ſemel bifidis. Involucra & involucella ſunt cordato - ſubrotunda, obtuſa, & cum flavedine glauca. Folia ſunt oblonga, obtuſa, integerrima, ſeſſilia, interdum parumper emarginata, utrinque glauca, craſſula, copioſa; ſumma quandoque ex oblongo cordata; infima nonnunquam imbricatim reflexa. Ex ſummorum foliorum alis in culta pedunculos etiam vidi exiviſſe radiis ſimiles; & talem florentem exhibet icon ſuperior, dum inferior ſylveſtrem ſiſtit aliquam fructeſcentem cum umbella depauperata. Flores ſunt ſeſſiles. Centralis umbellæ abortat, petalis donatus quinis. Reliquis fertilibus petala ſunt quatuor, bicornuta, & ſordide lutea. Calyx flaveſcit, foris glaber, intus valde hirſutus, ore connivens inæqualiter multidentato. Germen glabrum abit in capſulam glabram, trigonoovatam, obtuſam. Semina glabra pallent. Inſuper ad latus ſpectantur ſeorſim capſula, ſemen, & auctus flos.

TABULA TRECENT. QUADRAGESIMA SEXTA.

LEPIDIUM PERFOLIATUM. *Linn. ſyſt. pag.* 433.
Naſturtium ſpicatum perſicum perfoliatum maximum. *Moris. hiſt.* 2. *p.* 294. *ſ.* 3. *t.* 25. *f.* 17.
Naſturtium orientale, foliis inferioribus Millefolium, ſuperioribus Perfoliatam referentibus. *Tourn. inſt.* 214.
Thlaſpi alexandrinum. *Bauh. pin.* 108. *prodr.* 50 *hiſt.* 2. *p* 933.
Thlaſpi verum, Dioſcoridis primum. *Zan. hiſt. rar. p.* 172. *t.* 129.

Ante annum elapſum hæc planta, quoad ſciam, in Auſtria a nemine Botanicorum obſervata fuerat, quando a clariſſimo Sigisberto Schivereck detecta, mihique indicata fuit, copioſiſſime creſcens in ipſa, urbem inter ſuburbiaque, macra & herbida planitie, confuſa cum Lepidio ruderali, ubi denuo a me pluribus in locis & abundantia incredibili hoc anno viſa fuit. Semina æſtate delapſa novas autumno plantulas producunt, ſolis foliis radicalibus præditas. Proximo primo vere alia ſimilia prodeunt, & hæc inter caulis exſurgit plus minus pedalis, teres, erectus, glaber, cum virore purpuraſcens, ex alis ſuperioribus ramoſus, in aliis individuis etiam ex alis pleriſque, frequentius unicus, interdum plures. In horto ſata primo vere, eodem etiam anno, ſed ſerius, caulem exſerit. Radix alba & duas treſve uncias longa perit poſt ſeminum maturitatem. Folia radicalia & caulina inferiora, in individuis ramoſioribus etiam ramea infima, ſunt bipinnatifida: laciniis anguſtis acuminatis & planis. Horum ſubſequa minus diviſa baſin habent integram & amplexicaulem. Superiora omnia ſunt integerrima, ex cordato ſubrotunda vel cordata, valde amplexicaulia, acuta vel obtuſa. Omnia autem ſunt glauca, parumper craſſula; alia glaberrima; ad oras alia inque facie pilis ad lentem ſolummodo conſpicuis obſita. Flores corymboſi compreſſi & exigui foliola calycis habent obtuſa, valde concava, erecta, ex flavo virentia; oppoſita duo, quæ germinis applanati marginem ſpectant, oblonga; reliqua ad ejuſdem diſcum poſita duplo fere latiora & ovata. Petala ſunt ſpathulata, anguſta, flava, plana, obtuſa, calyce paulo longiora. Filamenta ſex pallentia antheras gerunt e viridi flaventes. Siliculæ orbiculatæ, longe racemoſæ, compreſſæ, vix emarginatæ, ſtylo breviſſimo & ægre conſpicuo coronatæ, & glabræ, in quolibet loculamento continent ſemen unicum badium. Ad latus racemus fructiger, & auctus flos adſtant.

TA-

TABULA TRECENT. QUADRAGESIMA SEPTIMA.

HESPERIS INODORA. *Linn. syst. pag.* 443.
Hesperidis sibiricæ an varietas? *Jacq. enum. vind. pag.* 118.
Hesperis sylvestris. *Crantz. fasc. pag.* 32.
Hesperis caule hirsuto, foliis subasperis, ovato - lanceolatis, serratis, petiolatis. *Hall. hist. helv. num.* 448.
Hesperis tertia. *Clus. hist.* 297.
Hesperis sylvestris inodora. *Bauh. pin.* 202. *Hall. ad Rupp. jen. pag.* 78. *tab.* 1.

Planta hæc, in Austriæ diversis locis occurrens, multis modis variare solet, ut primo intuitu non eadem credi posset. Alii annuam prætendunt; biennem alii. Celeberrimus Hallerus, quod in hortum redditam fieri illam angulosam asserit, plus quam annuam innuere videtur. Mihi quidem experimento certissimo constat, illam in horto Botanico jam per octennium perennasse, nec periisse adhucdum; & ipsam sylvestrem plantam per tres continuos annos perennantem vidi, forte tunc jam annosam, nec ultra inquirere volui. Anne igitur ætas variat in diversis individuis. Primo autem ætatis anno jam floret. Radix albicans & ramosa, aut simplicior, caulem solitarium vel eosdem plures attollit, erectos, teretes aut subangulatos, sesquipedales aut duplo altiores, magis minusve hirsutos, medulla solidiore farctos, diametro ab unica ad quinque lineas æquantes, simplicissimos vel auctos ramis prodeuntibus ex alis foliorum, modo dumtaxat superiorum, modo ex toto caule. Folia sunt acuminata, utrinque asperiuscula & villosa, alternantia, argute dentato-serrata, late aut anguste lanceolata, conferta vel magis dissita, infima plerumque petiolata, interdum omnia, in aliis ex adverso sessilia omnia vel semiamplexicaulia, hinc basi aut rotundata aut subhastata. Atque hæc diversitas in habitu præprimis pendere videtur a soli, in quo crescit, discrimine, dum reperitur in apricis asperis, in sylvaticis, in sepibus, atque alibi. Racemi cymosi, terminales. Flores suavi odore pollent, idque, uti noctu, sic interdiu; minus tamen sensibili, dum in aprico nascitur. Calyx purpureus, aut magis pallens, superne virescit, quandoque viret totus; & pilis longis est hirsutus. Petala sunt modo integerrima, modo leviter emarginata, unguibus pallidis calycemque superantibus, alba, carnea, purpurea, vel ex purpureo rubra. Siliquæ a duabus ad quatuor uncias longæ, glabræ, striatæ, teretes; interdum obsolete simul tetragonæ, dum str'a media promineat magis; ad semina torulosæ. Semina plura, oblonga, subangulata, fusca, subacria, immerguntur dissepimenti foveolis impressis. Floret a Majo ad Julium. Semina maturescunt Augusto. Ad latus folium habetur varians.

TABULA TRECENT. QUADRAGESIMA OCTAVA.

CARDUUS PERSONATA.
Carduus inermis; foliis imis pinnatis, superioribus ovato-lanceolatis, serratis; squamis calycis reflexis. *Hall. hist. helv. num.* 162. *tab.* 3.
Arctium Personata. *Linn. syst. p.* 528.
Arctium alpinum. *Jacq. vindob. pag.* 276.

Ex radice perenni, fusca, ramosa, fibrisque aucta caulis attollitur unus alterve, quatuor & ultra pedes altus, herbaceus, digitum & ultra crassus, angulatus, medulla alba fistulosa farctus, aut simplicissimus aut ramosus ex plurium foliorum alis, per totam longitudinem oris foliorum anguste decurrentibus spinulosus. Folia radicalia in planta nedum caulifera sunt ex lanceolato oblonga, integra, versus basin valde attenuata & incisa, pedali sæpe longitudine & quatuor uncias lata. Caulina inferiora, cujusmodi delineatum additur, sunt in-

fra medium pinnatifida vel etiam pinnata cum costa alata. Caulina summa & ramea sunt ovata, acuminata, sessilia, quandoque subtus parum lanuginosa & incana, uti etiam ipse ibidem caulis. Cæterum omnia sunt serrata, ciliato - spinosa, vix tamen pungentia, & utrinque glabra. Flores a quatuor ad octo sessiles in capitulum colliguntur, & caulem ramosque terminant, quibus in proximo folio quandoque solitarius subjicitur. Calycis squamæ numerosæ, subulatæ, in spinulam innocuam rectam nec uncinatam desinentes, supra medietatem patentissimæ, atropurpureæ totæ aut partim virentes, molles, ad lentem basi subciliatæ, cæterum glabræ nec lanugine adspersæ. Corollulæ purpurascunt, limbo donatæ quinquefido. Stylus & pollen cærulescunt. Anthera tingitur purpura saturatissima. Semen fuscescit, striatum, nitidum, pappoque coronatum sessili & piloso, ad microscopium obscure plumoso. Crescit in subalpinis. Floret Augusto.

TABULA TRECENT. QUADRAGESIMA NONA.

ARNICA SCORPIOIDES. *Linn. syst. pag.* 559.
Arnica foliis alternis, argute serratis, radicalibus petiolatis. *Hall. hist. helv. num.* 89.
Aster scorpioides. *Scop. carn.* 2. *pag.* 169.
Doronicum quartum styriacum. *Clus. hist. XVII.*
Doronicum latifolium, flore magno. *Bauh pin.* 185.

Radix perennis, transversa, ex capite digitum crasso attenuatur in finem præmorsum; rugis circularibus a foliorum priorum ortu relictis exasperata, fibris crassis albidis recta terræ immissis subtus jubata, sordide albens, saporis aromatici dulcis nec acris, teres, & ætate multiceps. Hinc vel sola radice ab Arnica Doronico mea differt quam maxime. Caulis unus alterve, semipedalis vel altior, angulato - striatus, pilosus, erectus, uniflorus, rarissime ex ala folii superioris flore pedunculato auctus. Folia sunt dentata, mollia, crassula, venulosa, utrinque villosula; caulina pauca, alterna, sessilia vel amplexicaulia, subovata & acutiora; radicalia cordata sæpius, vel ovata, petiolata, obtusiora & latiora; hæc in culta planta plerumque sola ovata, cujusmodi folium est seorsim additum. Flos subodoratus erigitur. Calycis foliola fere trium ordinum, omnino circiter viginti, exteriora paulo latiora, hirsuta, virentia, patentissima, corolla fere duplo breviora, lanceolato - acuminata. Corollulæ luteæ; fœmineæ fertiles in radio acutæ, lineatæ, ad apicem obscure tridentatæ; hermaphroditæ etiam fertiles cum limbo quinquefido & acuto. Stylus & antheræ colorem corollæ habent. Semian omnia pappo instruuntur simplici & sessili. Crescit rarissime in alpibus, florens Julio.

TABULA TRECENTESIMA QUINQUAGESIMA.

DORONICUM PARDALIANCHES. *Linn. syst. pag.* 559.
Doronicum latifolium. *Clus. hist. pag. XVI.*
Doronicum foliis cordatis, obtusis; imis longe petiolatis; superioribus amplexicaulibus. *Hall. hist. helv. num.* 88.
Doronicum Romanorum. *Blackw. tab.* 239.
Doronicum primum. *Tabern. ic.* 336.
Doronicum radice scorpii. *Bauh. pin.* 184.
Aconitum Pardalianches. *Dod. purg. pag.* 305.

Radix alba, firmiter carnosa, fibris pluribus deorsum tendentibus barbata, per transversos abruptosque circulos exasperata, saporis recens cum aliqua dulcedine atque aromate haud tamen grati, subteres, per ætatem tandem lignosior, & perennis, quaquaversum fi-

fibras præterea craſſas longasque horizontaliter porrigit, quæ in capita terminantur, novarum plantarum rudimenta, & ipſa etiam brevi futura ſobolifera, ut jam initia ſtolonum appareant, quorum pro elongatione varia haud inepte interdum ſcorpionis figuram effingunt. Ex hisce capitibus folia radicalia primo anno prodeunt ſola, ſubſequis una cum his caulis. Illa ſunt cordata, venoſa, mollia, utrinque villis albidis brevibusque denſe obſita, craſſula, denticulata, obtuſiuſcula, inſipida, petiolis longis canaliculatis villoſis & erectis ſuſtentata. Caulina ſunt infima ſimilia cum petiolo ad baſin auriculato. Caulina reliqua ſeſſilia, amplexicaulia, magis oblonga & acuta. Caulis plus minus ſesquipedalis, villoſus, parum ſtriatus & inanis erigitur. Flos inodorus, longe pedunculatus, aut unicus in caule ſimpliciſſimo, aut ex ſuperiorum foliorum alis inſuper unus alterve, tres uncias in diametro æquans. Calycis patentiſſimi foliola plus minus quadraginta, plana, villoſa, ciliata, acuta, virentia, & corolla ſubduplo breviora, ordinantur duplici in ſerie. Corollulæ flavent; in radio longiſſimæ lineatæ & tridentatæ. Anthera hermaphroditis eſt lutea. His ſemina ſuccedunt fuſca, decemſtriata, hirſuta pappoque piloſo ſeſſili coronata. Fæminarum ſemina minus hirſuta pappo carent. Receptaculum conicum eſt, ac breviſſime villoſum. Rara in præruptis alpium locis planta, floret ibidem Junio, culta in horto Aprili & ineunte Majo. Semel plantam ſpontaneam ſic ramoſam, qualem icon exhibet Cluſiana, in ſylva quadam montana haud procul ab urbe Vienna inveni anno quinquageſimo ſecundo ſupra milleſimum ſeptingenteſimum, cum floribus ad unam tertiam minoribus, caule tamen longiore, vere ramoſo; quam autem plantam poſtea, ex Americano itinere redux, denuo reperire nullatenus potui. Varietatem credo in umbroſiſſimo loco natam.

TABULA TRECENT. QUINQUAGESIMA PRIMA.

LILIUM MARTAGON. *Linn. ſyſt. p.* 240. *Scop. carn.* 1. *p.* 239.
Lilium foliis verticillatis; floribus pendulis, revolutis. *Hall. hiſt. helv. num.* 1233.
Lilium ſylveſtre ſive montanum primum & ſecundum. *Cluſ. hiſt. p.* 133. & 134.
Lilium floribus reflexis montanum. *Bauh. pin.* 77.

Bulbus componitur ex ſquamis lanceolatis, flavis, laxis; ad baſin jubatus fibris craſſis, longis, albidis, & adultis rugoſis. Caulis ex bulbi centro recta erigitur; ad bulbi apicem fibris verticillatis radicantibus donatus, firmus, teres, nitidus, a ſesquipede ad quatuor pedes altus, inferne pallide virens, cæterum punctis nigris adſperſus, inferne & ſuperne veſtitus foliis vagis, in medio iisdem verticillatis, terminatusque in racemum laxum, modo pauciflorum, modo ſpecioſe multiflorum, etiam quandoque dumtaxat uniflorus. Flores fœtidi nutant. Pedunculi purpurei nigroque punctati patent, muniti ſtipulis lanceolatis & acutis, inferiores geminis, ſummi ſolitariis. Petala purpurea vel pallida, utrinque magis minusve nigris punctis variegata, revoluta, tria exteriora ex linea longitudinali media protuberante hirſuta. Filamenta & ſtylus pallent. Antheræ badiæ includunt pollen aurantiacum. Germen viret. Capſula fuſceſcit. Folia ſunt lanceolata, acuta, ſubnervoſa, integerrima, ſubpetiolata. Creſcit in ſylvis montanis, & in ſubalpinis paſſim. Hic floret Julio & Auguſto; iſtic jam ſub Junii finem. Flos pallens additur ad tabulæ marginem; dein plantula tenella primi anni.

TABULA TRECENT. QUINQUAGESIMA SECUNDA.

HEDYSARUM ONOBRYCHIS. *Linn. ſyſt. p.* 495. *Crantz. faſc. p.* 424.
Onobrychis viciæfolia. *Scop. carn.* 2. *p.* 76.
Onobrychis caule erecto, ramoſo; floribus ſpicatis. *Hall. hiſt. helv. num.* 396.

Onobrychis Dodonæi. *Cluf. hift. p. CCXXXII. Riv. tetr. irr. t. 2.*
Onobrychis folio viciæ, fructu echinato, major. *Bauh. pin.* 350.

In toto agro Viennenfi frequentiffima planta, ad ripas arenofas Danubii, in collibus ficcis, ad vias, & alibi crefcens, florens a Majo ad Julium, femina ferens Augufto. Radix longa, perennis, & ramofa plures annuatim caules herbaceos profert, ftriatos, teretes, ramofos, adfcendentes, etiam magis procumbentes, raro erectos totos, glaberrimos nitidosque aut pubefcentes magis minusve, plus minus pedales. Stipulæ ad folia oppofitæ, acuminatæ, latæ, & membranaceæ. Folia funt pinnata ex foliolis ab octo ad duodecim, oblongis vel ovalibus, obtufis vel acutis, modo anguftis, modo latioribus, utrinque glabris vel dorfo pubefcentibus & quandoque incanis. Pedunculi longiffimi, erecti, teretesque in fpicam longam terminantur, florentem fucceffive ab inferioribus. Pedunculi proprii breves bractea fulciuntur fubulata albida & marcefcente. Calycis hirfuti & virentis laciniæ fubulatæ, acuminatæ, longæ, & fubæquales patent. Vexillum pallide flavefcens aut carneum cum ftriis femper rubris, fubrotundum, leviffime emarginatum, ungue brevi donatum, reflectitur fuperne, nec aliter comprimitur. Alæ pallidæ, oblongæ, obtufæ, erectæ, tam funt parvæ, ut in flore vix appareant. Carina bipes, fubtriangularis, obtufa, valde compreffa & longitudine vexilli pallet inferne, cæterum rubet. Germen minimum & hirfutum cum ftylo capillari in legumen abit femifubrotundum, compreffum, cellulofe rugofum, acute criftatum, & monofpermum. Semen glabrum, reniforme, cinereum & verfus hilum nigricans. Seorfim fpica fructigera, femen, flos, & ala fiftuntur.

TABULA TRECENT. QUINQUAGESIMA TERTIA.

RESEDA LUTEA. *Linn. fyft. p.* 330. *Scop. carn.* 1. *p.* 332. *Bauh. hift.* 3. *p.* 467.
Refeda hexapetala; foliis pinnatis, undulatis; calyce fexfido. *Hall. hift. helv. num.* 1056.
Refeda vulgaris. *Bauh. pin.* 100.

Ex radice perenni, calamum craffa & fordide albente caules exoriuntur pauci vel plures, fæpe in orbem pofiti, bafi procumbentes, hinc adfcendentes & erecti, annui, pedales & ultra, tandem fæpe ramofi, fubftriati, fcabriufculi, obfolete hifpiduli, & fiftulofi. Folia funt ad nudum oculum glabra, ad lentem hic illic pilofa, circa medium trifida; laciniis fublinearibus, ad oras undulatis, modo indivifis, modo ipfis eadem ratione trifidis, idque indifcriminatim in omni caulium parte; rarius verfus radicem fimplicia, & tunc verfus finem notabiliter latefcentia. Racemus terminalis, aphyllus, erigitur, tandem longus, dum ab inferioribus florere incipit. Pedunculi uniflori & breves. Flores haud grate odorati habent foliola calycis fena, linearia, canaliculata, ad bafin ipfam usque divifa, patentiffima, fubæqualia. Petala quatuor, fubrotunda, obtufa, concava, parva, crenulato - ciliata, & pallida, dimidiam fuperiorem floris partem occupant. Hæc emittunt ex dorfi fuperiore parte appendices inftar cornuum, fuperiora duo duas cum intermedia fubulata, inferiora unicam, ochroleucas, planas, & aut integras aut incifas. Filamenta a quindecim ad viginti gerunt antheras flavas. Styli tres. Capfula oblonga, triangularis, unilocularis, ore rotundato & vix denticulato hians, femina includit plurima nitidiffima fufca. Crefcit paffim in cretaceis, glareofis, ad vias. Floret a Majo ad Septembrim. Seorfim tabula fiftit capfulam, femen, auctum florem, & multoties auctum petalum fuperius a dorfo confpectum.

TABULA TRECENT. QUINQUAGESIMA QUARTA.

ADONIS MINIATA.

Adonis autumnalis, corollis flavo-rubris. *Scop. carn.* 1. *p.* 392.
Adonis annua prima. *Crantz. fasc. pag.* 110.

Fere tota glaberrima est. Radix annua, calamum ad summum crassa & amaricantis atque ingrati saporis caulem promit magis minusve ramosum, erectum, striatum, plus minus pedalem. Folia sunt multifida, acuta, & linearia. Flores inodori, pedunculati & solitarii caulem ramosque terminant. Calycis foliola quinque, glaberrima, ovata & patentissima pallent cum suffuso aurantiaco rubore, alia integerrima, alia superne obsoletius denticulata. Petala octo, ovata, obtusa, integerrima, miniata maculaque ad basin insignita nigricante, calycem tantisper superant. Antheræ cum purpura nigrescunt. Fructus longe cylindricus componitur ex producto receptaculo & adhærentibus seminibus numerosis subrotundo-acuminatis & angulatis. Crescit in arvis restibilibus interque segetes, florens Majo & Junio, semina perficiens Julio. Corolla nunquam pentapetala, sed constanter octopetala, aut rarissime uno alterove solo foliolo deficiente diminuta, & fructu cylindrico, nec ovato, discrepat ab Adonide æstivali Linnæi. Tempore florendi, & floris colore, ab Adonide autumnali.

TABULA TRECENT. QUINQUAGESIMA QUINTA.

ADONIS FLAMMEA.
Adonis autumnalis, corollis phœniceis. *Scop. carn.* 1. *p.* 392.
Adonis annua secunda. *Crantz. fasc. pag.* 110.

Habitus idem est cum planta præcedente, quacum mixtim crescit & floret. Differt autem ab illa momentis sequentibus. Radici sapor vix ullus est. Foliorum laciniæ sunt angustiores & longiores. Caulis infra medium, folia inferiora & calyces semper hirsutula sunt. Calycis foliola non recta porriguntur, sed infra medium detruduntur in gibbum, hinc visa breviora. Petala coloris flammei, maculam ad basin non habent ullam, aut valde illam obsoletam. Dein sunt hæc ratione longitudinis suæ angustiora, magis inæqualia inter se, & quædam obiter versus apicem rariterque denticulata. Flores magnitudine magis variant, alii ampliores quam in Adonide miniata, alii minores. Hirsutie, petalis angustioribus, & tempore florendi æstivo differt ab Adonide autumnali.

TABULA TRECENT. QUINQUAGESIMA SEXTA.

SCORZONERA LACINIATA. *Linn. syst. p.* 519.
Scorzonera caule folioso, ramoso; foliis angustissimis, imis rariter semipinnatis, superioribus linearibus lanceolatis. *Hall. hist. helv. num.* 12.
Tragopogon laciniatum luteum. *Bauh. pin.* 274.
Tragopogon tenuissime laciniatum. *Bauh. prodr.* 129.
Tragopogon laciniatis foliis. *Col. phyt.* 2. *pag.* 22. *tab.* 21.

Lacte amaro & ex candido brevi flavescente & fuscescente scatet. Radix perennis ramosa longa quotannis caulem unum vel plures gignit, erectos vel adscendentes, ramosos, striatos, fistulosos & glabros. Folia radicalia & caulina sunt pinnato-laciniata, glabriuscula, acuta; laciniis sublinearibus ac integris. Alia etiam folia sunt simplicissima & sublinearia, imprimis radicalia quædam & caulina summa. Flores inodori, longe pedunculati. Apices squamarum calycini nigricant & extrorsum vergunt. Petala intus flavent, foris fusce-

 scunt,

ſcunt, quinquedenticulata ad apicem. Omnes pili in pappo ſunt plumoſi. Creſcit paſſim in ſiccis locis, ad vias, aggeres, mœnia, ruderata & alibi, florens totam æſtatem.

TABULA TRECENT. QUINQUAGESIMA SEPTIMA.

LONICERA CAPRIFOLIUM. *Linn. ſyſt. p.* 165. *Scop. carn.* 1. *p.* 152.
Periclymenum vulgare alterum. *Cluſ. hiſt. p.* 57.
Periclymenum perfoliatum. *Bauh. pin.* 302.
Caprifolium italicum. *Dod. pempt.* 3. *l.* 3. *c.* 23.

Stirpem in hortis vulgarem, in Auſtriæ ſylvaticis noſtra ſaltim ætate, (nam Cluſius in Pannoniis invenire ſe potuiſſe negat,) vere ſpontaneam, nec infrequentem, paucis deſcribam. Frutex ſarmentoſus, debilis, lignoſus, ſubvolubilis, lentus, ramoſus, vicinis fruticibus ſe ſuſtentat. Rami juniores ſunt virides & ſæpe rariter piloſi. Folia oppoſita, ſubovata, integra, glabra, obtuſa; inferiora breviter petiolata; ſumma latiſſimis baſibus connata, hinc perfoliata. Flores ſuaveolentes, terminales, ſeſſiles in extremo folio, plerumque ſepteni, quorum intermedius frequentius abortat; tum etiam nonnunquam aliqui in alis foliorum ſubſequorum. Corolla pallida ſæpe quiddam carnei & ochroleuci immixtum habet. Stamina incurvantur ad laciniam petali longiſſimam. Antheræ ſunt luteæ. Stigma viret. Bacca diſtincta, ſingularis, aurantiaca, ſubovata, nitida, ſed rore tecta, ut nitor haud appareat, mollis, pulpam continet concolorem dulcem & glutinoſam, ſeminaque pauca, ab unico ad quinque. Floret Junio. Fructus matureſcunt Julio & Auguſto.

TABULA TRECENT. QUINQUAGESIMA OCTAVA.

INULA HIRTA. *Linn. ſyſt. pag.* 558.
Aſter hirtus. *Scop. carn.* 2. *p.* 173. *tab.* 58.
Aſter quintus. *Cluſ. hiſt. pag.* XIIII.
Aſter luteus hirſuto ſalicis folio. *Bauh. pin.* 266.
Aſter tertius pannonicus Cluſii luteus, folio hirſuto ſalicis. *Bauh. hiſt.* 2. *p.* 1047.

Radix perennis, transverſa, brevis, ſapore aliquo leviore Doronici officinalis prædita, & plurimis fibrillis longis nigriſque jubata, caules generat quotannis plures, ſemipedales vel pedales, erectos, hirtos, purpuraſcentes, folioſos, & vel unifloros & teretes, vel ex alis foliorum ſuperiorum ramulo unifloro ab uno ad quinque auctos & tunc ſuperne angulatos. Ramuli hi paulatim ultra florem caulinum, primo expanſum, elevant ſeſe, & ſerius florent. Sæpius autem caulis ſimpliciſſimus & uniflorus eſt, etiam in planta culta. Folia alternantur, ſeſſilia, rigidula, ex oblongo lanceolata, acuta, utrinque piloſa & ſcabra, venoſa, obſcure ſerrulata, ſuperiora imprimis recurvata. Flos ſubodoratus & amplus calycina foliola habet patula; extima quædam caulinis ſuperioribus ſimilia, ut flos dici ſeſſilis mereatur; reliqua anguſte lanceolata, acuminata, imbricata, virentia, hirtaque. Floſculi in radio ſunt flavi, anguſti, tridentati cum denticulo medio minimo. Setæ in antheris genericæ adſunt, ſolo microſcopio diſcernendæ. Receptaculum nudum, ſubpunctatum, albidum, & planiuſculum, ſemina locat numeroſiſſima, parva, oblonga, glabra, pappo ſeſſili piloſo, longo ſubrigidoque coronata, Auguſto matura. Floret Junio.

TA-

TABULA TRECENT. QUINQUAGESIMA NONA.

STACHYS RECTA. *Linn. syst. pag.* 395.
Stachys Betonica. *Crantz. fasc. p.* 264. *Scop. carn.* 1. *p.* 411.
Betonica foliis hirsutis, ovatis, rotunde crenatis; bracteis ovato-lanceolatis, aristatis, integerrimis. *Hall. hist. helv. num.* 262.
Sideritis prima vulgaris. *Clus. hist. XXXIX.*
Sideritis vulgaris hirsuta. *Bauh. hist.* 3. *p.* 425.
Sideritis vulgaris hirsuta erecta. *Bauh. pin.* 233.
Sideritis flore luteolo. *Riv. mon. irr. t.* 70.

Radix perennis, lignosa, ætate multiceps, & fusca, plures caules annuos gignit, erectos vel adscendentes, tetragonos, hirsutos, scabros, sesquipedales vel altiores, simplices vel tandem valde ramosos. Folia sunt anguste & longe lanceolata, venosa, rugosa, utrinque hirsutula & aspera, obtusiuscule vel acute serrulata, infima obtusa & breviter petiolata, reliqua sessilia & acuta. Verticilli a quatuor ad decem flores continent. Calyx hirsutus & striatus in denticulos finditur lanceolatos mucronatos subæquales & patulos. Corollæ foris villosulæ labium superius erigitur, fornicatum cum summitate plana, omnino integerrimum vel leviter bifidum, & oras infimas gerens atra purpura tinctas. Labium inferius discum habet sanguineis punctis ad laciniam usque mediam variegatum, trilobum, totum fere lateribus reflexis compressum. Filamenta alba inferne hirsuta; duo exteriora, ubi margini colorato galeæ accumbunt, etiam ipsa ibidem colorata sunt. Semina fusca. Planta odorem lamii levem habet. Crescit ad margines sylvarum, sepes, & alibi. Floret a Junio ad Augustum.

TABULA TRECENTESIMA SEXAGESIMA.

STACHYS ANNUA. *Linn. syst. pag.* 395.
Betonica foliis ovatis, crenatis; bracteis ovato-lanceolatis. *Hall. hist. helv. num.* 236.
Sideritis flore albo, barba luteola. *Riv. mon. irr. t.* 69.
Sideritis arvensis latifolia glabra. *Bauh. pin.* 233.
Alyssum majus. *Tabern. ic.* 541.
Planta, Linnæi definitionem sustinens. *Crantz fasc. p.* 265. sub Stachyde Betonica.

Radix annua, pallens calamumque crassa caulem profert suberectum, tetragonum, semipedalem aut triplo altiorem, vel ex ipsa basi ramosum, ramis adscendentibus oppositisque. Folia sunt venosa, obtuse serrata; caulina inferiora petiolata, subovata, ad extremitem rotundata & obtusissima; summa ad verticillos sessilia, lanceolata & acuta. Et caulis & folia ad lentem subvillosula sunt, ad nudum oculum glabra. Flores verticillati, in qualibet ala folii ad summum terni, etiam pauciores. Calyx molliter pilosus & striatus limbum habet divisum in quinque dentes lanceolatos, erectos & mucronatos; quorum tres sursum leviter inflectuntur, duo antrorsum porriguntur. Corollæ extus villosulæ tubus infundibuliformis & labium superius albent. Hoc valde latum inferne connivet, superne planum erigitur, obtusissimum, modoque obscure bifidum, modo trifidum, serrulatum aut integrum. Labium inferius flavet, in disco punctis sanguineis inspergitur, trilobum, obtusum, patensque; lacinia media subrotunda, duplo latiore, & integerrima vel emarginata. Filamenta inferne hirsuta albent. Semina fusca. Odor lamii aliquis in tota planta. Crescit in arvis frequentissima. Floret a Julio ad Septembrim. A Stachyde recta differt radice annua, glabritie majore, foliis latioribus, verticillis ad summum sexfloris, dentibus calycinis non æqua-

liter erectis, corollæ galea immaculata ad oras inferiores & latiore, flore haud adeo compresso, aliisque momentis.

TABULA TRECENT. SEXAGESIMA PRIMA.

LOTUS SILIQUOSUS. *Linn. syst. pag.* 504. *Crantz. fasc. p.* 399.
Lotus caule prostrato; scapis unifloris; siliquis alatis. *Hall. hist. helv. num.* 386.
Lotus pratorum siliquosus. *Clus. hist. p. CCXLIV.*
Lotus tetragonolobus. *Riv. tetr. irr. t.* 79.
Lotus pratensis siliquosus luteus. *Bauh pin.* 332.
Tetragonolobus Scandalida. *Scop carn.* 2. *p.* 87.

Radix ramosa, longa, tenuis & perennis caules plures spargit humi fusos, subramosos, tandem adscendentes, semipedales vel duplo longiores, hic illic rariter pilosos aut glaberrimos. Stipula petiolo utrinque adnascitur subovata, acuta, ad caulem pedunculumque adpressa, integerrima, & viridis. Folia sunt breviter petiolata & ternata ex foliolis obverse ovatis, integerrimis, facie glabris, dorso & ad oras obsoletius pilosis, mollibus, obtusis cum exiguo acumine. Pedunculi uniflori, longi, axillares, solitarii. Flos insidet bracteis ternis, lanceolatis, acuminatis, foliorum structura, rarius unicæ vel geminis. Calycis compressiusculi, pallide virentis, glaberrimi vel rariter pubescentis, interdum rubedine tincti, & longe tubulosi, denticuli sunt ferme æquales, suberecti, duo superiores sibi magis vicini. Corolla pallide flavet. Carinæ falcatæ apex nigrescit. Stylus a tergo stigmatis in gibbum tumescit. Leguminis utraque sutura in duos excurrit margines extantes. Semina plurima subrotunda nigraque in foveolis propriis locantur. Reliqua Linnæani characteris sunt. Crescit in pascuis frequens. Floret a Majo ad Julium. Semina perficit Julio & Augusto. Sistuntur in tabula separatim vexillum, ala, carina, legumen, idem longitudinaliter apertum, & semen.

TABULA TRECENT. SEXAGESIMA SECUNDA.

SCABIOSA SYLVATICA. *Linn. syst. p.* 112. *Jacq. obs. part.* 3. *pag.* 20. *tab.* 72. *& part.* 1. *pag.* 28. *Scop. carn.* 1. *pag.* 94.
Scabiosa caule hispido; foliis ovato-lanceolatis, subhirsutis; inferioribus dentatis. *Hall. hist. helv. num.* 204.
Scabiosa latifolia pannonica flore rubro seu tertia. *Clus. hist. p. I.*
Scabiosa latifolia pannonica purpurascente flore seu quarta. *Clus. hist. p. II.*
Scabiosa latifolia rubra non laciniata secunda. *Bauh. pin.* 270.
Scabiosa montana latifolia non laciniata rubra & prima. *Bauh. pin.* 270.
Scabiosa maxima dumetorum, folio non laciniato. *Bauh. hist.* 3. *part.* 1. *pag.* 10.
Scabiosa latifolia rubro flore & alia purpurante ex nigro flore. *Bauh. hist. part.* 1. *p.* 9.
Scabiosa rubra austriaca. *Lob. ic.* 538.

Per Austriam, Pannoniam, finitimasque provincias frequens planta ad margines sylvarum, in sylvis cæduis, alibique crescit, ex radice perenni & ramosa unicum vel plures caules promit, ab uno ad tres pedes altos, fistulosos, annuos, obsolete angulatos, erectos vel adscendentes, superne subdichotomos, virides, & pilis albidis, qui sæpe ex punctis nigris oriuntur, hispidos. Folia sunt ovato-lanceolata, utrinque villosa & subaspera, serrata, opposita, magna, acuminata, nunquam laciniata; inferiora in petiolum attenuata; proxima sessilia; summa autem angusta & integerrima. Pedunculi longissimi flores sustinent purpureos.

Ca-

Calycis communis foliola sunt acuminata ac ciliata. Flosculi quadrifidi, odore aliquo præditi, purpurei, & radiantes sibi interpositas habent setas villosas & breves. Semina hirsutula coronantur perianthio exteriori & persistenti, quod est solummodo margo brevissimus & inæqualis; tum etiam perianthio interiori campanulato, quod fit ex setis plus minus decem ciliatis. Floret a Junio ad Septembrim.

TABULA TRECENT. SEXAGESIMA TERTIA.

CLEMATIS INTEGRIFOLIA. *Linn. syst. p.* 377.
Clematis nutans. *Crantz. fasc. p.* 127.
Clematis inclinata. *Scop. carn.* 1. *p.* 387.
Clematis cærulea pannonica. *Clus. hist. pag.* 123.
Clematis cærulea erecta. *Bauh. pin.* 300.

In Austriæ pratis Danubialibus rarissime inventa planta, in Hungariæ similibus locis frequentior, culta depingitur. Radix perennis, fusca, fibris longis crassis & fuscescentibus jubata, ac multiceps, caules promit plures, annuos, sesquipedales & ultra, striatos, erectos, parumper fistulosos, superne subpubescentes, flore terminatos nutante, ex alis superiorum foliorum parumper ramosos. Folia sunt opposita, ovata, sessilia, integerrima, nervosa, venosa, acuta, glabra cum nervis dorsalibus marginibusque leviter villosis. Pedunculi erecti pubescunt, floremque gerunt unicum, inodorum & elegantem. Petala magna, lanceolata, cærulea, nervosa, acuta, undulata, crassula, & patentissima. Filamenta ex flavo pallent, tota villosa, petalisque duplo breviora. Antheræ flavent. Pistilla numerosa sericea abeunt in totidem semina subrotunda, compressa, villosula, terminataque in setam plumosam longam. Tota planta acris est. Floret Junio. Semina maturescunt Augusto.

TABULA TRECENT. SEXAGESIMA QUARTA.

VICIA PISIFORMIS. *Linn. syst. p.* 487. *Crantz. fasc. p.* 384.
Vicia foliis ovatis maximis; siliquis racemosis, pendulis. *Hall. hist. helv. num.* 428.
Pisum sylvestre. *Clus. hist. pag. CCXXIX.*
Pisum sylvestre perenne. *Bauh. pin.* 343.
Cracca flore ochroleuco. *Riv. tetr. irr. t.* 52.

Glabra tota est. Ex radice perenni, longissima, ramosa, lignosa, fusca, calamum crassa, & sub terra repente, caules producuntur annui, striati, lenti, subangulati, ramosi, tripedales, debiles, longe foliosi & florigeri. Folia sunt pinnata ex paribus quatuor ad octo, ad angulum rectum una cum pedunculis egressa, sessilia, quum primum par fere ex ipso enascatur caule. Costa teres & firma in cirrhum terminatur trifidum. Foliola opposita vel alternantia sunt ovata, obtusa cum exiguo & innocuo mucrone, breviter petiolata, integerrima, quandoque emarginata, & in dorso subglauca. Stipula ex subrotunda fere figura ad alterum apicem scilicet versus folium in acumen pilosum abit, inæqualiter rariterque denticulata. Racemi multiflori. Flores toti ochroleuci. Calycis denticuli parvi, distantes, tres infimi longiores. Petala omnia æqualem ferme longitudinem habent. Vexillum, si unguis canaliculatus longus latusque expanditur, spathulatam fere figuram adipiscitur, vix emarginatum, supra unguem reflexum. Alæ angustæ, hamatæ, ungue tenui. Germen pedicellatum. Legumen glabrum, oblongum, compressum, uncia longius, continet semina tria ad sex, subglobosa & nigra. Crescit ad sepes, frutices, sylvarum margines. Floret Junio.

nio. Semina dat Augusto. Tabula ad latus repræsentat vexillum, alam, carinam, legumen & semen.

TABULA TRECENT. SEXAGESIMA QUINTA.

POLYCNEMUM ARVENSE. *Linn. syst. p.* 74. *Hall. hist. helv. num.* 1570.
Chenopodium annuum humifusum, folio breviori & capillaceo. *Tourn. inst.* 506. *Seg. ver.* 1. *p.* 93.
Anthyllis Italorum. *Lob. ic.* 404.

Annua planta, modo tota procumbens, modo in pumilis individuis, qualia duo adstant, erecta, & glabra, ex radice fibrosa plures cauliculos fundit teretes, purpurascentes vel virides, totos foliosos, a duabus unciis ad sesquipedem longos. Folia sparsa, subulata, mucrone albo terminata, supra plana, subtus teretia, sessilia. Flores solitarii, sessiles, axillares fere in omnibus foliis, pusilli, locantur inter duas bracteas albidas, setaceas, aridas, modo suberectas, modo patentissimas. Calycis foliola sunt albida, persistentia, concava, longitudine parumper inæqualia, tria exteriora & duo interiora. Corolla deest. Germen depressum. Stylus brevis, bipartitus in lacinias patentissimas & filiformes. Filamenta tria. Semen unicum includitur membranæ tenuissimæ, stylo superstite & infra hunc margine obsoletius dentato extante coronatæ; ipsum subrotundum, valde compressum, punctatum, nigrumque cum hilo albo. Crescit in arvis. Floret a Junio ad Septembrim. In tabula conspiciuntur seorsim aucta flos cum bracteis suis, genitalia, capsula, semen; tum etiam capsula in nativa magnitudine.

TABULA TRECENT. SEXAGESIMA SEXTA.

LYSIMACHIA PUNCTATA. *Linn. syst. p.* 153. *Scop. carn.* 1. *p.* 138.
Lysimachia lutea secunda. *Clus. hist, p. L. ic. p. LII.*
Lysimachia lutea minor. *Bauh. hist.* 2. *p.* 304.
Lysimachia lutea minor, foliis nigris punctis notatis. *Bauh. pin.* 245.
Blattariæ affinis planta minor, flore luteo, foliis nigris punctis notatis. *Moris. hist.* 2. *p.* 491. *s.* 5. *t.* 10. *f.* 15.

Caules ex eadem radice transversa subrubente subrepente perenni fibrisque pallidis jubata unicus vel plures attolluntur herbacei, a sesquipede ad tres pedes alti, angulati, erecti, calamum crassi, molliter hirsuti ac incani, toti foliosi, in medio ex foliorum alis ramis aucti simplicibus nec longis, cæterum simplices, aut etiam sine ullis ramis simplicissimi. Folia sunt ovato-lanceolata, acuta, integra, utrinque villosa & mollia, breviter petiolata, quandoque ad oras undulata, saporis aciduli & adstringentis; modo subtus adspersa punctis nigris minutis, modo hisce punctis plane destituta; quaterna vel terna; summa, infima, & ramea, opposita vel alternantia. Pedunculi uniflori, villosi, in qualibet axilla gemini sive in quolibet verticillo foliis duplo plures, in ramis tamen sæpe solitarii; & alter ex geminis altero pedunculo citius floret. Flores non grate odorati. Calyx villosulus dividitur ferme ad usque basin in lacinias lanceolato-lineares & acutas. Petali lutei & calyce duplo longioris laciniæ ovato-lanceolatæ, acutæ, & ad basin obscura purpura tinctæ gerunt ad oras villos breves capitatosque, uti etiam germen totum filamenta & capsula nedum matura, soli armato oculo conspiciendos. Filamenta inferne in unum corpus vere sunt connata, inde subulata & erecta. Antheræ ovatæ, acutæ & erectæ flavent. Capsula globosa & nitida est. Crescit ad rivos. Floret Junio & Julio.

TA-

TABULA TRECENT. SEXAGESIMA SEPTIMA.

SATYRIUM HIRCINUM. *Linn. syst. p.* 591. *act. upf.* 1740. *t.* 18.
Orchis hircina. *Scop. carn.* 2. *p.* 193. *Crantz. fasc. p.* 484.
Orchis radicibus subrotundis; labello longissimo, tripartito, plicato. *Hall. hist. helv. num.* 1268. *t.* 25.
Orchis barbata fœtida. *Riv. hexap. t.* 18. *Bauh. hist.* 2. *p.* 756. *Vaill. bot. p.* 149. *t.* 30. *f.* 6.
Orchis barbata, odore hirci, breviore latioreque folio. *Seg. ver.* 2. *p.* 121. *t.* 15. *f.* 1. *Bauh. pin.* 20. *Moris. hist.* 3. *p.* 491. *s.* 12. *t.* 12. *f.* 9.
Tragorchis testiculus hirci. *Dod. pempt.* 2. *l.* 2. *c.* 30.

Bulbi gemini, avellanæ nucis vel ovi columbini magnitudine, albidique caulem emittunt bipedalem, erectum, teretem, virentem aut purpurascentem, aut etiam maculis sanguineis adspersum. Folia caulina plura, lanceolata, acutiuscula, firmula, integerrima, & sublineata, oriuntur ex vagina clausa & amplexicauli; radicalia pauca; summa aliqua sæpe sessilia. Bracteæ pedunculis subjacent pallidæ, sæpe purpura tinctæ, tenues, lanceolato-lineares, acutæ & germinis plus minus longitudine. Racemus florum non raro pedalis & ultra. Pedunculi proprii breves. Flores cum suaveolentia quadam fœtorem hircinum mixtum spirant. Germen longum virensque contorquetur notabiliter, utrinque attenuatur, & tribus angulis protuberantibus tres nervos mentitur. Petala omnia in cucullum subrotundum connivent. Tria exteriora sunt ovata, ampla, concava, acutiuscula, pallida, pellucida, ut lineæ sanguineæ internæ foras transluceant. Interiora subulata vel linearia pallide virent cum linea media dorsali atropurpurea, quandoque absente. Filamenta duo flava & subulata gerunt singula antheram ovatam æruginosam erectam & quamlibet inclusam proprio cucullo pallenti & antice longitudinaliter univalvi. Nectarii cornu brevissimum rotundatum obtusissimum, nec ullatenus didymum, albet. Labium superius breve in antica facie cucullos antherigeros emittit. Inferioris labii discus angustus ad latera fimbrias purpureas, & in prona parte ex albo sanguineoque variegatam pubem exserit. Hinc in laciniam utrinque lateralem linearem excurrit, mediamque aliam longissimam etiam linearem, magis minusve intortam, in viva planta protensam antrorsum, ad apicem modo dumtaxat emarginatam, modo profunde satis bifidam; omnes coloris ferruginei, aut magis purpurascentis vel virentis. Crescit in sylvaticis. Floret Julio. Ad latus exhibetur germen cum adhærentibus nectario petalisque interioribus; tum ad lentem aucta stamina.

TABULA TRECENT. SEXAGESIMA OCTAVA.

SATYRIUM NIGRUM. *Linn. syst. p.* 591.
Orchis nigra. *Scop. carn.* 2. *pag.* 200.
Orchis miniata. *Crantz fasc. pag.* 487.
Orchis radicibus palmatis; spica densissima; flore resupinato; calcare brevissimo. *Hall. hist. helv. num.* 1271. *t.* 27.
Orchis palmata angustifolia alpina, nigro flore. *Seg. ver.* 2. *p.* 133. *t.* 15. *f.* 17. *Bauh. pin.* 86.
Palma Christi minor. *Cam. epit. p.* 627.

Bulbi profunde palmati albidi & compressi in duas tres quatuorve partes profunde secantur. Folia linearia, canaliculata, superiora acuta, caulina plura, pluraque radicalia, quorum extima latiora. Caulis teres, striatus, plus minus semipedalis. Spica ovata vel subrotunda, densissima. Bracteæ longitudine florum, totæ, folia autem superiora ad apices,

 pur-

purpurascunt. Flores odore gratissimo pollent; inversi toti, ut nectarium respiciat spicæ verticem, petala basin; unicolores elegantissimo & saturatissimo rubore præditi, quandoque in nigrum vergente; una cum germine ad lentem externe punctati. Petala anguste lanceolata, acuminata, patula, triplo germine longiora, exteriora tria pauxillo latiora, omnia locantur inferne, obvertunturque nectarii labello tanquam labio superiori corollæ ringentis. Hoc ovato-acuminatum basi connivet, petalis duplo triplove latius, integerrimum, nec ulla in visis a me numerosis speciminibus crena vel serratura donatum. Nectarii cornu est subrotundum, obtusum, breve, nec sulcatum. Capsula subrotunda, obtuse & obsolete trigona. Tota plantula glaberrima est. Crescit passim in pratis alpinis & subalpinis, florens ab inito Julii ad Augustum. Fructus maturescit initio Septembris.

TABULA TRECENT. SEXAGESIMA NONA.

SATYRIUM REPENS. *Linn. syst. pag.* 591.
Epipactis repens. *Crantz. fasc. pag.* 473.
Epipactis foliis petiolatis, ovato-lanceolatis; floribus tetrapetalis, hirsutis. *Hall. hist. helv. num.* 1295. *t.* 22.
Epipactis foliis ovatis radicalibus. *Gmel. sib.* 1. *p.* 13.
Orchis minor, flosculis albis, radice repente. *Cam. hort. p.* 111. *t.* 35.
Pseudo-Orchis. *Bauh. pin.* 84.
Pyrola angustifolia polyanthos, radice geniculata. *Læs. pruss. p.* 20. *t.* 68.

In muscis densis mollibusque apud nos crescit locis subalpinis & umbrosis, florens Augusto & initio Septembris. Radix albida, ramosa, teres, horizontaliter per muscos repit, novamque sic sobolem producit. Folia radicalia quatuor ad septem, glabra, plana, ovata, ad tactum pinguia, integerrima, dorso pallida & obscure trinervia, obtusiuscula, ex petiolis orta vaginantibus albidis, quorum intimus est longior, foliumque hinc suum altius attollit. Scapus aphyllus foliis vestitur spathis vagis oblongis & acutis, ipse teres, albidus, erectus, plus minus semipedalis, ad basin glaber, & superne villosus. Bracteæ villosæ, lanceolato-lineares & villoso germine paulo longiores. Flores brevissime pedunculati & albidi locantur in spica secunda a septem ad sedecim. Petala tria exteriora lanceolata & foris muricate hirsuta, duo interiora glabra & angustiora, omnia conniventia quidem, sed non mihi visa conglutinata. Nectarii cucullus bilocularis & obtusus. Labellum obtuse saccatum, atque hinc excurrens in laminam lanceolatum acutam & concavam. Ante cucullum stat paries semibifidus. Antheræ duæ, luteæ. Capsula obverse ovata. Exhibentur planta floribus nedum apertis, altera jam florens; tum aucta flos integer, & germen cum nectario petalis avulsis; dein flos ad duplum fere auctus cum petalis omnibus patentissimis, minime conglutinatis, cujusmodi omnes flores fuerunt in illis plantis, quas vivas, jam florere incipientes una cum cespite muscoso, ex loco natali in hortum transtuli, ubi florere perrexerunt.

TABULA TRECENTESIMA SEPTUAGESIMA.

BUPHTHALMUM SALICIFOLIUM. *Linn. syst. p.* 569. *Scop. carn.* 2. *p.* 177.
Buphthalmum foliis imis petiolatis, ovatis, superioribus amplexicaulibus, lanceolatis, hirsutis, rariter dentatis. *Hall. hist. helv. num.* 118.
After tertius, austriacus primus. *Clus. hist. p. XIII.*
After luteus major, foliis succisæ. *Bauh. pin.* 266.
Afteroides hirsuta. *Mich. cat. flor. p.* 12. *t.* 3. & 4.
Conyza major altera. *Thal. herc. p.* 21. *t.* 2.

Ex

Ex radice perenni, horizontali, ramoſa, nigricante, multicipite, fibris pluribus fuſcis ſtipata, calamumque vel digitum craſſa, caules annuatim exeunt plures, erecti, pedales ſtriato-angulati, hirſutuli, aut flore unico terminati ſimpliciſſimi, aut ſuperne parum ramoſi. Folia ſunt lanceolata, utrinque & ad oras villoſula, obſolete denticulata; infima obtuſa & in petiolum longe attenuata; ſuperiora acuta & ſeſſilia aut amplexicaulia. Flores ſunt inodori. Calyx villoſus, patens & corolla lutea duplo vel triplo brevior conſtat ſquamis lanceolatis, acuminatis, imbricatis & pallide virentibus. Radii patentiſſimi corollulæ ſunt bilineatæ & quinquedenticulatæ. Diſci infundibuliformes. Anthera lutea ad baſin nullas ſetas habet. Seminum angulatorum pappus eſt margo ciliaris. Paleæ ſunt lineares & mucronatæ. Creſcit paſſim in ſylvis, copioſe in ſubalpinis. Floret a Junio ad Auguſtum.

TABULA TRECENT. SEPTUAGESIMA PRIMA.

CENTAUREA MONTANA *Linn. ſyſt. p.* 573. *Scop. carn.* 2 *p.* 137.
Cyanus caule unifloro, alato; foliis ellipticis, lanceolatis. *Hall hiſt. helv. num.* 190.
Cyanus montanus latifolius. *Bauh. pin.* 273. *Mill. ic.* 113. *f.* 1. & 2.
Cyanus major. *Lob. ic.* 548.
Cyanus montanus, caule folioſo, capitulo oblongo. *Bocc. muſ.* 2. *p.* 20. *t.* 2.
Cyanus montanus, caule folioſo, ſeu multifolius. *Zan. hiſt. p.* 88. *t.* 60.
Cyanus montanus perennis anguſtifolius dentatus. *Zan. hiſt. p.* 89. *t.* 61.
Jacea integrifolia humilis. *Bauh. pin.* 271. *Prodr.* 127.

Elegans planta, admodum varians ſtatura & foliis in diverſo ſolo natali, ex radice perenni, ramoſa, fuſca, calamum digitumve craſſa, fibriſque craſſis aucta, unum vel multiceps plures attollit caules, herbaceos, ſuberectos, angulatos, ſemipedales vel bipedales, villoſos in ſylveſtri planta ſimpliciſſimos atque unifloros, in culta ſæpe ramoſos & multifloros. Folia ſunt lanceolata, acuta, ſeſſilia, per caulem decurrentia, utrinque hirſuta, denticulata vel integerrima, dorſo pallide virentia, alterna. Atque ita in ſubalpinis frequens creſcere ſolet. In montanis autem demiſſioribus folia & caulis magis lanuginoſa ſunt; inque pumilis iisdem plantis etiam inveni illa vere tomentoſa & incana. Flos inodorus erigitur. Calycis ſquamæ ſunt ovatæ, glabriuſculæ, inermes, virides, cum oris & ſummitate nigricantibus & ciliato-inciſis, ſummæ ad apicem patentes. Corollulæ quinquefidæ albent inferne; fœmineæ radii longiſſimæ cæruleſcunt; hermaphroditæ diſci purpuraſcunt. Anthera eſt nigra. Stigma bifidum purpureum. Semina pallida nitidaque pappum habent ſeſſilem breviſſimum. Floret a Junio ad Auguſtum. Ad latus ſunt corollula diſci & ſemen.

TABULA TRECENT. SEPTUAGESIMA SECUNDA.

GENTIANA CRUCIATA. *Linn. ſyſt. p.* 201. *Scop. carn.* 1. *p.* 177. *Bauh. pin.* 188.
Gentiana foliis ovato-lanceolatis, nervoſis, vaginalibus; floribus verticillatis & umbellatis. *Hall. hiſt. helv. num.* 643.
Gentiana tertia, cruciata. *Cluſ. hiſt. p.* 313.
Gentiana minor. *Cam. epit. pag.* 417.
Cruciata, ſive Gentiana minor. *Dod. pempt.* 3. *l.* 1. *c.* 19.
Tretorrhiza. *Renealm. ſpecim. p.* 74.

Tota glabra eſt. Ex radice longa, digitum craſſa, pallente, amara, diverſis in locis fiſſa, idque interdum cruciatim, & perenni, caules quotannis prodeunt pauci, baſi adſcendentes, hinc erecti, ſubteretes, ſimplices, ſemipedales vel duplo altiores. Folia ſunt

K op-

oppofita, longe lanceolata, acutiufcula, integerrima, firmula, feffilia, bafi connata, obfcure quinquenervia, inferiora longe vaginantia. Flores inodori, fubfeffiles, verticillati, axillares & terminales, bracteis finguli muniuntur lanceolatis, quibusdam folia minora æmulantibus. Perianthium corollam, qua triplo brevius eft, ftricte amplectitur, pallidum, fubfpathaceum, vix angulatum, inæqualiter quadridentatum cum una incifura profunda. Corolla tubulofa & ventriculofa foris inelegante cum purpura cærulefcit, limbum vero habet interne pulchre cæruleum divifumque in quatuor lacinias femiovatas & patulas, cum interjectis totidem denticulis plerumque bifidis acuminatisque, etiam trifidis fimplicibusve. Stamina quatuor, tota libera, cum antheris flavis. Quandoque toti flori in divifione una quinta pars additur. Capfula ex ovali oblonga continet femina minuta & tereti-ovata. Crefcit in herbidis montanis. Floret Augufto & Septembri. Ad latus ftant calyx, & petalum longitudinaliter difciffum expanfumque.

TABULA TRECENT. SEPTUAGESIMA TERTIA.

GEUM MONTANUM. *Linn. fyft. p.* 352. *Crantz. fafc. pag.* 70.
Geum foliis pinnatis; extrema maxima, rotunde cordata. *Hall. hift. helv. num.* 1131.
Caryophyllata montana. *Scop. carn.* 1. *p.* 365. *Camer. epit. p.* 727.
Caryophyllata montana fecunda. *Cluf. hift. p.* CIII.
Caryophyllata alpina lutea. *Bauh. pin.* 322.
Caryophyllata alpina minor. *Bauh. pin.* 322. *prodr. p.* 139.
Caryophyllata alpina minima, flore aureo. *Barr. ic.* 399.

Planta elegans & tota cum ipfo calyce pilofa eft. Radix perennis, calami vel digiti craffitie, transverfa, duas tresve uncias longa, fufca, fibras craffas emittens, faporis adftringentis & fubaromatici, fæpe multiceps, folia plura promit, petiolata, pinnata; foliolis fubrotundis, obtufis, rugofis, incifo-crenatis, inferioribus minoribus, fummo impari maximo. Caulina funt feffilia, acuta, incifa, etiam quandoque pinnatifida. Caulis teres, herbaceus, a tribus unciis ad pedem altus, erectus, plerumque uniflorus & fimpliciffimus. Petala fubrotunda & lutea calycem parumper fuperant. Stamina tota & ftigmata lutea funt. Piftilla hirfuta abeunt in totidem femina ovalia, fufca, longe & plumofe caudata. Crefcit in pratis alpinis, florens Julio, femina ferens Augufto.

TABULA TRECENT. SEPTUAGESIMA QUARTA.

SAXIFRAGA CÆSIA. *Linn. fyft. p.* 303. *Scop. carn.* 1. *p.* 294. *t.* 15.
Saxifraga foliis craffis, duris, recurvis, fubtus fulcatis, bafi ciliatis. *Hall. hift. helv. num.* 982.
Saxifraga alpina minima, foliis cæfiis, deorfum recurvis. *Tourn. inft.* 253. *Seg. ver.* 1. *p.* 449. *t.* 9. *f.* 2.
Sedum minus nonum. *Cluf. hift. pag.* LXI.
Sedum alpinum minimum, foliis cinereis, fiore candido. *Scheuchz. it. alp.* 2. *p.* 141. *t.* 21. *f.* 2. *Bauh. hift.* 3. *p.* 692.
Sedum alpinum album, foliis compactis. *Bauh. pin.* 284. *Moris. hift.* 3. *p.* 473. *s.* 12. *t.* 21. *f.* 1.
Sedi aut Phylli fpecies minima alpina. *Gesn. p.* 24. *t.* 11.

Ele-

Elegans plantula rupibus nudis innascitur in summis alpium jugis, radice ramosa & nigricante saxa fissa penetrans, atque hinc valde multiceps in cauliculorum perennantium cespitem densissimum expanditur, plerumque convexulum, sæpe quatuor unciarum diametri. Cauliculi eorumque rami terminantur rosula foliorum compacta, dum infra hanc foliis emarcidis priorum annorum longe vistiuntur. Sunt autem folia oblonga, obtusa, crassa, integra, infra medietatem pilis albis ciliata, superne recurvata inque prona parte foveolis paucis in duplici serie semiperforata, glauca, obducta magis minusve crusta albida, atque hinc ad tactum dura, cæterum glabra. Rosulæ non male æmulantur Aloën retusam. Ex centro earundem exeunt ramuli graciles, solitarii, erecti, unam alteramve unciam longi, teretes, nitidi, purpurei, pauciflori, foliis ornati alternis, distantibus, oblongis, sessilibus, basi vix ciliatis. Flores inodori locantur in pedunculis brevibus villosis fultisque bracteis subulatis. Calycis flavescentis tubus villosus & subrotundus cingit germen; laciniæ glabræ, ovatæ, concavæque eriguntur. Corollæ subinfundibuliformis & calyce triplo longioris petala sunt obverse ovata, nivea, patentia, integra, & tri-vel quinquelineata. Antheræ luteæ. Semina ovalia. Floret Julio & Augusto. Icon exhibet plantulam præter morem solitum convexam, dum planioris idea sponte occurrit. Ad latus folium est caulinum, tum rameum, auctum utrumque.

TABULA TRECENT. SEPTUAGESIMA QUINTA.

EUPHORBIA SYLVATICA. *Linn. syst p.* 334.
Tithymalus sylvaticus. *Scop. carn.* 1. *p.* 333.
Tithymalus foliis ellipticis, hirsutis; stipulis umbellaribus obscuris, floralibus connatis; petalis lunatis. *Hall hist. helv. num.* 1045.
Tithymalus lunato flore. *Col. ecphr.* 2. *pag.* 56.
Tithymalus sylvaticus, lunato flore. *Bauh. pin.* 290. *Moris. hist.* 3. *p.* 335. *s.* 10. *t.* 1. *f.* 3.
Tithymalus toto anno folia retinens. *Bauh. hist.* 3. *p.* 671.

Fundit læsa lac acre. Radix perennis, ramosa, longa, plerumque tortuosa, lignosa, calamum crassa, & fusca, caules gignit debiles, teretes, graciles, modo erectos magis, modo procumbentes, rubros, glabros, cicatricibus sparsis a foliis præteritis notatos, & superne frondose foliosos, perennantes & semper virentes. Folia sunt lanceolata vel elliptica, superne latiora, in brevem petiolum attenuata, obtusa, mollia, integerrima; utrinque & ad oras, imprimis vero in postica parte, villosa; in caulibus ramisque junioribus villosis & virentibus magis dissita. Cauliculi florentes sunt virides, hirsuti, erecti, orti ex caulibus frondosis senioribus, annui, & foliis instructi alternis minoribus fereque sessilibus. Umbella terminalis quinquefida. Radii bifidi, biflori, glabri. Ad alas foliorum superiorum ramulus quandoque exit biflorus. Involucri universalis foliola numerantur quinque, ex subrotundo obverse ovata, obtusa, glabra, sessilia & patentissima. Involucella omnia sunt monophylla, inferiora plana; summa concava, pelviformia, utrinque inciso-emarginata, ut ex binis foliolis late triangularibus obtusisque videantur in unum conflata. Flores sessiles, positi inter radios plerique pentapetali steriles & decidui. Terminales fere soli fertiles & tetrapetali. Calyx viridis, subrotundus, glaber vel valde rariter pilosus. Petala lunata cum cornubus productis acutisque, purpurea cum apicibus ochroleucis, vel omnino virentia. Germen glabrum abit in capsulam glabram. Semina nitida nigricant. Folia sæpe magis minusve purpurascunt. Crescit passim in sylvis montanis & subalpinis. Floret a Junio ad Augustum. In latere exhibentur capsula, semen, & flos auctus.

TABULA TRECENT. SEPTUAGESIMA SEXTA.

EUPHORBIA PLATYPHYLLOS. *Linn. ſyſt. p.* 334. *Scop. carn.* 1. *p.* 337.
Tithymalus foliis lanceolatis, ſerratis; ſtipulis floralibus cordatis; capſulis aſperis, lineis lævibus diviſis. *Hall. biſt. helv. num.* 1053.
Tithymalus platyphyllos Fuchſii. *Baub. biſt.* 3. *p.* 670.
Tithymalus arvenſis latifolius germanicus. *Baub. pin.* 291.

Annua planta lacte turget tota niveo acerrimo, quod etiam ex minima libata in linguæ apice guttula fauces & os lædit acrimonia per horas ſenſibili. Radix longa albicans & fibrillis aucta caulem gignit erectum, ab uno ad duos pedes altum, teretem, nitidum, inferne purpuraſcentem. Folia alternatim ſparſa, ſubſeſſilia, fere horizontaliter patentia, oblonga, verſus finem paulo latiora, mollia, infima obtuſa, ſuperiora magis acuta, facie glabra, dorſo & ad oras hirſutula, inferiora integerrima, ſuperiora tenuiſſime ſerrulata, ut tamen denticulos oculus nudus ægre obſervet, quare omiſi in figura. Sunt vere petiolata; petiolus autem breviſſimus & craſſus ad caulem ſtricte apprimitur; cumque folium ipſum ad angulum rectum a petiolo & caule recedat, hinc baſis folii evadit ſubamplexicaulis, imprimis reſpectu ramulorum axillarium. Tum folia crebro aliqua ſupra baſin marginem utrinque attollunt, dein alia plica deprimunt. Umbella caulina terminalis radios a tribus ad quinque habet, (plures nunquam, nec in culta aut maximis individuis, videre contigit,) trifidos vel quadrifidos, dein tertia diviſione bifidos vel trifidos. Ubique foliola involucrorum tot ſunt, quot radii; ad umbellam univerſalem foliis caulinis ſimilia; ad ſubſequas umbellas magis acuta; ſumma cordata ſine baſeos emarginatione, & cum flavedine virentia. Ex alis modo ſuperiorum foliorum pauciſſimorum, modo totius plantæ fere omnium, rami enaſcuntur radiis univerſalibus ferme ſimiles. Habitu itaque, ex ſtatura & ramorum multiplicitate qui deſumitur, valde inter ſe individuæ plantæ differunt. Flos in umbellæ univerſalis centro pedunculatus locatur, pentapetalus, plerumque abortans; & iſtiusmodi etiam flores centrales ſteriles radii ſecundæ diviſionis in majoribus individuis quandoque in centro ſuo gerunt. Reliqui flores omnes fertiles & tetrapetali ſunt. Calyx campanulatus & hirſutiſſimus cum virore flavet. Petala ſunt lutea, rotunda & integerrima. Germen ovatum & hirſutum abit in capſulam ſubrotundam triſulcatam & obſoletius muricatam. Creſcit in agris & cultis; florens æſtate. Ad latus capſula, ſemen, & auctus flos ſeorſim exhibentur.

TABULA TRECENT. SEPTUAGESIMA SEPTIMA.

PRUNELLA GRANDIFLORA. *Linn. ſyſt. p.* 404.
Prunella prima. *Cluſ. biſt. XLII.*
Prunella foliis ovato-oblongis, calycibus ſuperne tridentatis. *Hall. biſt. helv. num.* 278.
Brunella cærulea magno flore. *Baub. pin.* 261. *Crantz. faſc. pag.* 279. *Besl eyſt. æſt. O.* 14. *fol.* 13. *fig.* 3.
Brunella flore majore. *Riv. monop. irr. t.* 29.

Habitus plane ſequentis eſt, quacum mixtim creſcit, ad ſummas alpes adſcendens. Folia magis virentia, nec incana, hirſuta tamen, ſæpius integra uti in Prunella vulgari, nonnunquam laciniata nec diverſa a Prunella laciniata. Spica modo pedunculata, modo etiam ſeſſilis. Corolla multo major, violacea aut purpurea. Calyx ſæpe totus atropurpureus cum labio ſuperiore manifeſtius trilobo, & inferiore paulo minus profunde ſecto. Floret etiam eodem tempore. Dicta ſola diſcrimina inveni; quare illi, qui omnes tres Prunellas in unam ſpeciem conjiciunt, adeo quod objici ſibi poſſit, vix habere videntur. Liceat tamen ſemper varietates inſigniores diſtinctis nominibus tradi.

TA-

TABULA TRECENT. SEPTUAGESIMA OCTAVA.

PRUNELLA LACINIATA. *Linn. ſyſt. p.* 404. *Crantz faſc. p.* 280.
Prunella ſecunda. *Cluſ. hiſt. p. XLIII.*
Brunella foliis imis ovatis, oblongis; caulinis dentatis & ſemipinnatis. *Hall. hiſt. helv. num* 279.
Brunella foliis laciniatis. *Riv. monop. irr. t.* 29. *Bauh. pin.* 261.

Radix perennis, nodoſa, teres, & fibris numeroſis aucta, paucos promit caules adſcendentes, hirſutos, tetragonos, magis minusve purpureos, vix ramoſos, palmares vel fere pedales, annuos. Folia ſunt aſperiuſcula, hirſuta, incane virentia, obtuſiuſcula, infima plerumque integra, inferiora petiolata, & ſuperiora ſubſeſſilia, varie laciniata. Spica ſeſſilis & terminalis conſtat bracteis late ſubrotundis, mucronatis, oppoſitis, hirſutis, venuloſis, & pallentibus cum virore & margine purpuraſcente, quæ ſingulæ in axillis locant flores ternos breviterque pedunculatos. Calyx extus & imprimis ad latera piloſus, bilabiatus, ſtriatus, ſemibifidus, in fructu compreſſo-clauſus & erectus. Labium ſuperius planum cum latere utroque antrorſum ad angulum rectum plicato, latum, truncatum, cum extremitate obiter trilobata, lobulis mucronatis, intermedio multo latiore lateralibus. Labium inferius eſt ſemibifidum; laciniis ſubulatis & acuminatis. Petali ochroleuci galea dorſum piloſum habet, & laciniam labii inferioris intermediam valde concavam, laterales autem planas & convexulas. Filamenta ad apicem, etiam in floribus adhucdum clauſis, vere bifurcata, in altero plerumque breviore & ſæpe breviſſimo crure antheram gerunt didymam & ochroleucam. Stigmatis bifidi laciniæ ſunt ſubulatæ. Reliqua congruunt cum charactere Linnæano. Creſcit paſſim in pratis montanis. Floret Junio & Julio.

TABULA TRECENT. SEPTUAGESIMA NONA.

CHRYSANTHEMUM CORYMBOSUM. *Linn. ſyſt. pag.* 562.
Pyrethrum foliis pinnatis, pinnis ſemipinnatis, acute dentatis; floribus umbellatis. *Hall. hiſt. helv. num.* 95.
Tanacetum inodorum primum & ſecundum. *Cluſ. hiſt. p.* 337.
Tanacetum inodorum montanum majore & minore flore. *Bauh. pin.* 132.
Tanacetum inodorum latifolium, magno bellidis flore. *Barr. ic.* 781.
Tanacetum Leucanthemum. *Tabern. ic.* 131.
Bellis montana minor tanaceti folio. *Plukn. alm. p.* 66. *t.* 82. *f.* 1.

Plantæ inodoræ, primum viſæ inſipidæ at ſaporis dein fervidi, radix fuſca vel nigra, perennis, calamum digitumve minimum craſſa, obliqua, interdum multiceps, paucas uncias longa, fibriſque craſſis longioribus jubata, caulem exſerit ſtriatum, firmum, glabrum vel villoſulum, tripedalem, ut in icone pars dimidia deficiat, inferne ſimplicem, ſuperne ramoſum, & flores numero varios ad usque quadraginta pedunculatos corymboſe colligentem. Etiam caulem uniflorum vidi. Flores quoque differunt amplitudine quam maxime, ut depicti mediocritatem ſervent. Calycis villoſuli foliola cum virore pallent, ad oras fuſceſcunt. Radius corollulas albas ovales & tridentatas habet. Diſcus luteus eſt. Folia radicalia & caulina ſunt pinnata, & ſubpiloſa; foliolis oblongis, acutis, inciſo-ſerratis, ſummis confluentibus. Creſcit paſſim in ſylvis, imprimis montanis & ſubalpinis. Floret æſtate.

TABULA TRECENT. OCTOGESIMA.

ACONITUM LYCOCTONUM. *Linn. ſyſt. p.* 371. *Scop. carn.* 1. *p.* 380. *Crantz. faſc. p.* 131.

Aconitum foliis hirſutis, ſemitrilobis; lobis duplicato-trifidis. *Hall. hiſt. helv. num.* 1200.
Aconitum lycoctonum vulgare luteo flore. *Cluſ. hiſt. XCIV. Besl. eyſt. æſt.* O. 1. *fol.* 11. *fig.* 2.
Aconitum lycoctonum luteum. *Bauh. pin.* 183.
Aconitum lycoctonum luteum majus. *Dod. pempt.* 3. *l.* 4. *c.* 9.
Aconitum folio platani, flore luteo palleſcente. *Bauh. hiſt.* 3. *p.* 652.
Aconitum ſecundum. *Camer. epit. p.* 827.
Napellus flore luteo. *Riv. pent. irr. t.* 127.

Radix perennis ex capite craſſiore nigricante & difformi fibras craſſas ramoſas & ex fuſco pallentes in terram demittit; caulemque annuum, bipedalem aut altiorem, ex foliorum ſuperiorum alis ramoſum, erectum, glabriuſculum & ſubangulatum attollit. Folia ſunt longe petiolata, villoſula, & varie lobata; lobis inciſis, quinis vel ternis vel ſeptenis; laciniis lanceolatis & acutis, aut brevioribus & rotundatis, quales folium monſtrat delineatum nec pictum. Tota etiam planta quandoque eſt glaberrima, & villoſiorem cultam exuiſſe omnem ſuam hirſutiem vidi. Floribus pedunculatis & perpetuo ochroleucis petalum galeatum eſt rugoſulum, villoſulum, compreſſum, protractumque antice in mucronem. Nectaria gemina pallent magis. Petala lateralia ex adverſo magis flavent, ſubrotunda & in medio concava. Ima duo lanceolata. Filamenta circiter triginta, petalis breviora. Antheræ flavæ, effœtæ nigræ. Germina tria. Capſulæ totidem, ſtylis ſuis mucronatæ. Semina angulata, pauca, rugoſa, & atra. Creſcit in ſylvis montanis, copioſius in iisdem ſubalpinis. Floret a Julio ad Septembrim. Seorſim pinguntur galea, hac avulſa pars floris reliqua, fructus integer & ſemen.

TABULA TRECENT. OCTOGESIMA PRIMA.

ACONITUM NAPELLUS. *Linn. ſyſt. p.* 371. *Scop. carn.* 1. *p.* 380. *Crantz. faſc. p.* 131.
Aconitum. *Stœrck. p.* 69.
Aconitum caule ſimplici, ſpica denſa; petiolis unifloris; caſſide breviter mucronata. *Hall. hiſt. helv. num.* 1197.
Aconitum lycoctonum ſextum, Napellus vulgaris. *Cluſ. hiſt. p. XCVI.*
Aconitum cæruleum, ſeu Napellus primus. *Bauh. pin.* 183.
Napellus minor. *Riv. pent. irr. t.* 129. *Cam. epit. p.* 836. *Matthiol. p.* 1094.

Radix perennis, flaveſcens vel fuſca, napiformis vel fuſiformis, fibris aucta, ad latera novos ſimiles napos, gemma futuri caulis ovata nitidaque coronatos, generat. Caulis erigitur, a duobus ad quinque pedes altus, ſubangulatus, inferne glaber, ſuperne villoſulus, firmus, valde folioſus, racemo longo florifero erectoque terminatus, ad alas foliorum ſuperiorum per racemulos ſerius florentes ramoſus, cæterum ut plurimum ſimplex. Folia ſunt petiolata, alternatim ſparſa, fere glabra, utrinque nitida & ſublucida, facie ſaturatiſſime ſed dorſo pallidius virentia, ſubquinquefida: foliolis ſubtrilobis inciſisque; laciniis ultimis lanceolato-linearibus acutiuſculis, nervo medio ſulcatis. Bracteæ imæ lobatæ, ſuperiores lanceolatæ & integerrimæ. Pedunculi proprii uniflori, teretes, villoſuli, erectiuſculi. Petala & nectaria villoſula & ſaturate violacea. Galea rugoſula, breviter mucronata. Nectarii vertex atroviolaceus, labium reflexum & emarginatum. Antheræ nigræ, poſt exploſionem pollinis albæ. Piſtilla glabra, tria, vel quatuor, rarius quinque. Capſulæ totidem, polyſpermæ. Creſcit paſſim & copioſe in ſylvis ſubalpinis, in iisdem paſcuis. Floret Auguſto & Septembri. Deficit in icone pars magna caulis. Radicem pingi curavi utriusque formæ & coloris. Adſtat etiam foliolum nectarii.

TA-

TABULA TRECENT. OCTOGESIMA SECUNDA.

ACONITUM ANTHORA. *Linn. syst. p.* 371. *Scop. carn.* 1. *p.* 381.
Aconitum foliis linearibus, profundissime tripartitis; lateralibus lobis bipartitis, incisis; mediis duplicato-trilobatis. *Hall. hist. helv. num.* 1199.
Anthora vulgaris. *Clus. hist. p. XCVIII. Riv. pent. irr. t.* 127. *Mill. ic.* 12.
Anthora sive Antithora. *Cam. epit. p.* 837.

Radix perennis componitur ex napis fusiformibus, albidis, duobus vel tribus, carnosis. Caulis ab uno ad tres pedes attollitur, non ramosus. Folia quinquefida ex foliolis multifidis totum caulem occupant; laciniis omnibus linearibus, acutis, nervo medio sulcatis, supra atrovirentibus, dorso pallidioribus, glabris, ad oras per lentem vix notabiliter villosuli. Racemus terminalis est, & simplex; inque plantis majoribus ex foliorum alis superiorum racemuli etiam egrediuntur. Corolla tota ochroleuca est. Galea venosa & rugosula porrigitur antice in mucronem longiorem quam Aconitum Napellus. Lateralia petala etiam villosula sunt. Nectarii labellum est semibifidum. Antheræ nigricant. Pollen albet. Germina fere semper quina in totidem capsulas glabras abeunt. Semina sunt atra. Crescit in sylvis montosis. Floret Augusto & Septembri; sub cujus finem & Octobri semina maturescunt.

TABULA TRECENT. OCTOGESIMA TERTIA.

POTENTILLA RECTA. *Linn. syst. p.* 350. *Scop. carn.* 1. *p.* 359.
Fragaria recta. *Crantz. fasc. pag.* 79.
Fragaria caule erecto, foliis quinis & septenis, acute serratis. *Hall. hist. helv. num.* 1121.
Quinquefolium montanum, erectum, hirsutum, luteum. *Garid. prov. pag.* 393.
Quinquefolium alterum vulgare. *Dod. pempt.* 1. *l.* 4. *c.* 32.
Quinquefolium rectum luteum. *Bauh. pin.* 325.

Ex radice perenni fusca & ramosa caulis exsurgit pedalis vel duplo & ultra altior, teres, erectus, firmus, purpureus, annuus, foliosus, pilis albis lanuginosis & adpressis hirsutus, foliosus, superne in paniculam corymbosam ex ramis dichotomis solutus. Folia sunt digitata, infima longe petiolata & septenata, summa quinata & subsessilia. Stipulæ sunt vaginantes & profunde laciniatæ, quadrifidæ, vel bifidæ, aut trifidæ, rarius simplices: laciniis plerisque lanceolato-linearibus & acutis. Foliola sunt sessilia, oblonga, versus basin angustata, fine obtuso, serrato-incisa, quandoque semipinnatifida, utrinque hirsuta, subtus subincana; laciniis omnibus sublanceolatis & acutis. Pedunculi eriguntur, terminales & in dichotomiis ramorum. Flores plani. Calyx villosus. Petala flava, obverse cordata, calyce longiora. Filamenta numerosa. Antheræ & stigmata lutea. Semina glabra. Crescit ad vias, in fruticosis montanis, ad sylvarum margines. Floret Junio & Julio. Augusto semina perficiuntur.

TABULA TRECENT. OCTOGESIMA QUARTA.

ANDROPOGON ISCHÆMUM. *Linn. syst. p.* 669. *Scop. carn.* 2. *p.* 274.
Andropogon spicis villosis, septenis; locustis bifloris; floribus alternis sessilibus. *Hall. hist. helv. num.* 1414.
Gramen dactylon spicis villosis. *Bauh. pin.* 8. *theatr. p.* 116. *Scheuchz. gr. p.* 94.
Gramen dactylon, spicarum aristis geniculatis. *Barr. ic.* 753.
Ischæmum secundum. *Tabern. ic.* 222.

Radix meris conſtat numeroſiſſimis fibrillis duris, gracilibus, ſemipedalibus ſordideque albicantibus. Caules autem baſi proſtrati perennant, ſimiles fibrillas generant, elongantur, tandemque in annoſiore planta mentiuntur radices multicipites, cujusmodi a Scheuchzero radix deſcribitur. Et ſic ſæpe ingens fibrillarum faſciculus, quo ex terra macerrima, in qua creſcit, nutrimentum haurire queat, conſpicitur. Culmi annui adſcendunt, ſimpliciſſimi vel ramoſi, teretes, nitidi, glabri, coloris ſtraminei, ad nodos ferruginei, folioſi, geniculati. Folia radicalia & caulina anguſta, acuminata, pallide virentia, facie glabra, dorſo rariter piloſa, ad oras ſcabra & piloſa, inferiora ad baſin inſuper quibusdam pilis longioribus ciliata, (qui tamen omnes pili, utpote tenuiſſimi, oculum nudum fugiunt,) leviterque carinata oriuntur ex vagina longa, amplexicauli, interdum purpuraſcente, ad folii ipſius originem hirſutula. In culmi ſummitate ſpicæ tenues locantur numero incerto a duabus ad decem, ſæpius ſex vel ſeptem, infimæ & terminales plerumque oppoſitæ, intermediæ alternantes vel etiam oppoſitæ. Rachides ab una ad duas uncias longæ & fere capillares, in axilla ſua ad ortum ex culmo rubentes & piloſæ, erectiuſculæ, denticulis exaſperantur alternantibus & copioſis, quibus ſingulis inſident duo flores, alter ſeſſilis, alter inſidens pedunculo hirſuto. Flos ſeſſilis eſt hermaphroditus, cui calycina gluma eſt univalvis, concava, obtuſiuſcula, mutica, oblonga, purpuraſcens, rariter piloſa, ad oras ſuperne ciliata pilis ſtrictis albisque. Corollæ bivalvis valvula, quæ calycinæ valvulæ opponitur, & hinc calycis glumam alteram mentitur, eſt carinata, acuta, mucronata, dorſo acuto ſuperne aculeata, cæterum rariter piloſa, mutica, magnitudine & colore glumæ calycinæ. Valvula corollæ altera calyci includitur, membranacea, tenuiſſima, pellucida, acuminata, ſubpiloſa, inferne purpurea, ſuperne excolor fere, etiam mutica. Ariſta longiſſima, recta vel ſemel geniculata, & ad lentem hiſpida, oritur ex receptaculo communi inter corollæ valvam calyci oppoſitam & inter germen. Hoc ovatum ſtylos duos emittit diſtinctos, ferentes ſtigmata rubra longa hirſutiſſima. Filamenta tria alba, capillaria. Antheræ didymæ, oblongæ, purpuraſcentes, incumbentes, baſibus ore rotundo dehiſcentes, tubuloſæ, biloculares. Flos pedunculatus maſculinus & ſterilis piſtillo & ariſta caret; cæterum perfecte ſimilis eſt flori hermaphrodito. Semen oblongum, compreſſulum, acutiuſculum, glaberrimum, pallidumque cum apice fuſceſcente, corollæ calycique cum ariſta perſiſtentibus includitur, illis duplo brevius. Creſcit paſſim in collibus ſiccis, ad vias, & alibi. Floret Auguſto & Septembri. Semina perficit Octobri & Novembri. Ad latus ſiſtitur flos hermaphroditus auctus & vi expanſus; tum ſemen in naturali & aucto volumine.

TABULA TRECENT. OCTOGESIMA QUINTA.

TRIFOLIUM RUBENS. *Linn. ſyſt. p.* 502. *Scop. carn.* 2. *p.* 80. *Crantz. faſc. p.* 406.
Trifolium foliis nervoſis, ciliatis; ſpicis ovatis, obeſis; calycis denticulis plumoſis, imo longiſſimo. *Hall. hiſt. helv. num.* 375.
Trifolii majoris tertii altera ſpecies. *Cluſ. hiſt. p. CCXLVI.*
Trifolium montanum ſpica longiſſima rubente. *Bauh. pin.* 328.
Lagopus major alter. *Dod. pempt.* 4. *l.* 4. *c.* 22.

Planta elegans ex radice perenni, longa, ramoſa, foris fuſca & ſapore prædita ingrato & ſubamaricante annuatim caulem, aut multiceps plures, promit pedalem vel bipedalem, ſimpliciſſimum, erectum, firmum, infra nitidum teretemque, ſuperne compreſſulum. Folia alterna glaberrimaque totum caulem decorant. Stipula carinata, longa, vaginans, amplexicaulis, ſupra petioli ortum in duas auriculas attollitur acutas, anguſte lanceolatas & obſolete denticulatas vel integerrimas. Petiolus teres, in infimis foliis longior, in ſuperioribus breviſſimus, tandem in ſummis nullus. Folia ſunt lanceolato-linearia, acutiuſcula, longa, eleganter venuloſa cum venulis omnibus ultra oras mucronate egredientibus, hinc ſerrulato-ciliata. Summa folia duo, ſibi magis vicina, ut oppoſita ſæpe videantur, vaginas ſtipularum

rum habent tumentes latioresqne. Et in his nervus dorſalis ut plurimum pilos longos rarosque habet. Spica pedunculata terminalis unica (in ſylveſtri planta rarius, in culta frequenter gemella,) erecta, denſa, bi-vel triuncialis, oblonga. Calycis tubus glaber, compreſſus, ſtriatus, ſæpe purpuraſcit. Limbi laciniæ ſubulatæ, longis albis & ſimpliciſſimis pilis hirſutæ, infima longiſſima & æquans fere corollam, reliqui quatuor ſubæquales patulæ & breves. Corollæ ex purpureo rubræ & monopetalæ tubus eſt longus, ex quo vexillum exit ovatum acutum & connivens. Alæ oblongæ, obtuſiuſculæ, concavæ, patentes, longitudine vexilli. Carina brevior, ovalis, erecta & connivens ſaturatius coloratur. Antheræ flavent. Legumen parvum, ovatum, glabrum, & calyci incluſum, ſemen fovet ſubrotundum, nitidum, badio-fuſcum, plerumque unicum. Creſcit in montanis ad ſylvarum margines inque ſylvis. Floret Junio & Julio. Semina matureſcunt Auguſto. In latere adſtant ſeorſim calyx, legumen & ſemen.

TABULA TRECENT. OCTOGESIMA SEXTA.

TRIFOLIUM FLEXUOSUM.
Trifolium majus tertium. *Cluſ. hiſt. CCXLV.*

Cum Trifolio alpeſtri confuſum hoc fuiſſe videtur a pluribus Botanicis, a quo ſeparo, in cultura etiam ſervans diſcrimen. Caulis, ſtipulæ, & folia utrinque at præcipue ad oras, hirſutula ſunt, quandoque ferme glabra. Radix teres, gracilis, ramoſa, tenax, longiſſima, fuſca, perennis, & ſuperne multiceps ac veluti fruticuloſa, caules quotannis generat plures, ſimplices, ſtriatos, teretes aut compreſſulos, ſemipedales aut duplo altiores, fere ad omnia genicula flexuoſos, adſcendentes, raroque vere erectos. Stipulæ ſunt ſtriatæ, conniventes, vix amplexicaules, ſuperne utrinque lanceolato-acuminatæ, inferne rubellis lineis donatæ. Petioli teretes. Foliola ſunt lanceolata, tam minute ſerrulata, ut, quos digitus ſentiat, oculum denticuli fugiant; ſæpe obſcure ex albo maculata; infima obtuſa & emarginata; reliqua acutiuſcula. Summa duo folia ſibi opponuntur, ſeſſilia. Spica ſubrotunda, elegans, ſuaveolens, fere ſeſſilis, unica, rariſſime gemella, vix villoſa, in montanis ſylvaticis ſæpe ampla, qualis in depicta, alibi etiam atque in planta culta duplo minor. Calycis tubus compreſſus, glaber, decemſtriatus & ochroleucus, ſuperne purpuraſcit, imprimis in ſpicæ vertice, quæ depreſſa eſt, donec integra floreat. Laciniæ ejusdem ſunt ſetaceæ, rariter piloſæ, virides, infima longitudine tubi corollæ, dum reliquæ gradatim ſunt breviores. Corolla monopetala ſimillima magnitudine & figura Trifolio rubenti, modo deſcripto, ſed purpuræ multo dilutioris. Legumen ſubovatum, cinereum, glabrum, obtuſiſſimumque calyci includitur, ſemen fovens unicum, compreſſum, reniformi-ſubrotundum, nitidum & ſubflaveſcens. Creſcit ad margines ſylvarum, inque pratis montanis. Floret Junio & Julio. Semina matureſcunt Septembri. In margine calyx, legumen & ſemen ſiſtuntur.

TABULA TRECENT. OCTOGESIMA SEPTIMA.

CYTISUS NIGRICANS. *Linn. ſyſt. p.* 489. *Scop. carn.* 2. *p.* 69. *Crantz. faſc. p.* 394.
Mill. ic. t. 117. *f.* 1.
Cytiſus foliis ovatis, nitidis; floribus ſpicatis, cernuis; calycibus & ſiliquis ſericeis.
Hall. hiſt. helv. num. 361.
Cytiſus quartus. *Cluſ. hiſt. pag.* 95.
Cytiſus glaber nigricans. *Bauh. pin.* 390.
Cytiſus Gesneri, cui flores vere ſpicati. *Bauh. hiſt.* 2. *p.* 370.
Cytiſus. *Riv. tetr. irr. t.* 70.

Frutex a sesquipede ad humanam altitudinem excrescens, ex radice nigra ramosa diffusaque plures caulit gignit erectos, teretes, glabros, lentos, digitum tandem crassos, ramosos, constantes cortice pallide fuscescente, in senioribus nigrescente, & ligno durissimo albido cum centro fuscescente. Ex his quotannis virgæ attolluntur teretes, pedales & ultra, tenuiores, pallide virentes, villo sericeo incano obducti, foliosi, in racemos longos terminati, magnam partem hyeme pereuntes. Folia sunt ternata, sparsa, petiolata: foliolis lanceolatis, acutis, integerrimis, sessilibus, firmulis, facie glabris, in dorso villos breves habentibus, qui oculum fere fugiunt. Pedunculi proprii uniflori, graciles, patulique, flores gerunt cernuos & suaveolentes, corolla flava, calyce villoso viridulo, exsiccatione ilico nigrescentes. Perianthium bilabiatum labia habet divaricata, superius brevius integerrimum, inferius ad apicem tridentatum acutumque; suffulciturque bracteola subulata & adpressa, ut in oculos non incurrat. Vexillum subrotundum obtusumque retroflectitur totum ultra calycem. Alæ ovatæ, obtusæ & concavæ eriguntur. Carina subfalcata, compressa, mucronata, longitudine vexilli & alarum. Filamenta omnia sunt connata. Antheræ aurantiacæ, oblongæ. Stigma capitatum & villosum. Legumen oblongum, acutum, compresso-planum, nigrum sed villis brevissimis albidis canescens, semina continet a tribus ad octo, compressissima, subrotundo-reniformia, nitida, fusca. Crescit in sylvaticis, & ad margines sylvarum, flores Julio, semina perficiens Septembri. Seorsim in tabula exhibentur pars trunci ex frutice adultiore, racemus fructifer, semen, calyx, vexillum, ala & carina.

TABULA TRECENT. OCTOGESIMA OCTAVA.

XERANTHEMUM ANNUUM. *Linn. syst. p.* 546. *Scop. carn.* 2. *p.* 180. *Mill. ic.* 297.
Xeranthemum herbaceum, foliis lanceolatis. *Hall. hist. helv. num.* 122.
Ptarmica austriaca. *Clus. hist. p. XI.*
Jacea oleæ folio, capitulis simplicibus. *Bauh. pin.* 272.

In scrobibus ad vias, in arvis, siccisque aliis locis haud infrequens in Austria, in Hungaria frequentissima planta, viarum ornamentum, & tota odorata, ex radice annua & ramosa caulem attollit pedalem aut bipedalem, striatum, villosum, incanum, erectum, modo dumtaxat superne, modo vel ab ipsa radice ramosum, ut multicaulis quandoque videatur, terminatum una cum ramis in pedunculos longos, unifloros, incanos & aphyllos. Folia sunt sparsa, lanceolata, acuminata, integerrima, utrinque villosa, subtus incana, supra sordide virentia, subsessilia. Calycis squamæ scariosæ, imbricatæ, numerosæ; exteriores pellucidæ, albidæ, ovatæ, laxe erectæ, concavæ, breviter mucronatæ; interiores lanceolatæ aut oblongæ, longiores, cæterum similes prioribus; ordinis omnino intimi sunt longissimæ, lanceolatæ, nitidissimæ, patentissimæ, eleganter rubropurpureæ, planæ, acutæ, ungue virente donatæ, radiatam mentientes corollam, persistentem ac tandem ex fusco pallentem. In disco plano sunt flosculi numerosi, albidi, corollulis tubulosis & limbo quinquefidis. Fæminei in ambitu circiter octo, limbo patulo, cujus tres laciniæ longæ sunt & æquales, duæ vero ambitum respicientes duplo breviores. Stylus petalo duplo longior & purpureus extrorsum inclinatur. Stigma breve, obtusum & bifidum. In hermaphroditis germen quinque setis tanquam calyculo proprio instruitur, quæ in fæmineis desunt; & anthera atropurpurea polline gaudet albo. Hæc tandem a transeunte stylo finditur, & decidit, quando flores fæmineos mentiuntur. Stylus antheram vix superat, una cum hac dumtaxat longitudine corollulæ fæmineæ. Stigma uti in prioribus. Corollæ limbus æqualiter quinquefidus connivet. Receptaculum paleas setaceas albidasque habet. Semina flosculis hermaphroditis sunt oblonga, versus basin attenuata & acuta, fusca, hirsuta, coronata pappi setis quinque, basi latis & concavis, albidis, erectis, villosis. Fæminis nulla. Floret Julio & Augusto, sub cujus finem semina maturescunt. Ad latus adstant flos fæmineus & hermaphroditus aucti in eadem proportione; semen hermaphroditi in nativa magnitudine, idemque auctum.

TA-

TABULA TRECENT. OCTOGESIMA NONA.

SAXIFRAGA ANDROSACEA. *Linn. ſyſt. p.* 303.
Saxifraga pyrenaica. *Scop. carn.* 1. *pag.* 296. *t.* 16.
Saxifragia foliis hirſutis, ellipticis & tridentatis; caule paucifloro. *Hall. hiſt. helv. num.* 984.
Saxifragia alpina ſubhirſuta; foliis longis, raro dentatis. *Hall. op. bot. p.* 292. *tab.* 2.
Saxifragia alpina, habitu Androſaces villoſæ. *Hall. norib.* 1736. *t.* 1. *f.* 3.
Sedum alpinum tertium. *Col. ecphr.* 2. *p.* 66.
Sanicula montana minor, ſeu Sedi alpini tertii fratris Gregorii ſecunda varietas. *Pluk. alm. p.* 331. *t.* 222. *f.* 2.

Imprimis ad margines foſſarum nive oppletarum udos in ſummis alpium jugis creſcit, atque Julio & Auguſto floret. Radix perennis, tenuis, fibrillis munita capillaribus copioſis, roſulas gignit foliorum paucas; quæ ſunt lanceolata, virentia, craſſula, acutiuſcula vel obtuſa, per baſin anguſtatam ſubpetiolata, pilis albis ciliata, utrinque iisdem rarioribus adſperſa, integerrima vel rarius quædam ſubtridentata. Cauliculus teres, annuus, hirſutus, frequentius unus alterve, tamen etiam ad ſenos in magis multicipite planta, a ſeſcuncia ad ſemipedem longus, & uno alterove folio ſeſſili inſtructus, flore terminatur erecto, quem ex ſupremi ala folii alter breviter pedunculatus ſequitur ut plurimum, dum rarius apud nos unicus, omnium rariſſime plures obſerventur. Calyx hirſutus, ſemiquinquefidus, obtuſusque viret. Petala ſunt obverſe ovata, integerrima, alba, calyce duplo longiora, patula. Antheræ flavent. Germen cingitur adnato calycis tubo. Tabula repræſentat ſpecimina duo minora ex ſummis alpibus; & majus ex loco demiſſiori; omnia Auſtriaca; dein ſpecimen quadriflorum Carinthiacum, cujus miſit iconem reverendus L. B. de Wulfen.

TABULA TRECENT. NONAGESIMA.

SCANDIX CEREFOLIUM. *Linn. ſyſt. pag.* 214.
Chærophyllum Cerefolium. *Crantz. faſc.* 191.
Chærophyllum foliis glabris, triplicato-pinnatis; lobulis obtuſis. *Hall. hiſt. helv. num.* 747.
Chærophyllum ſativum. *Bauh. pin.* 152.
Cereſolium. *Riv. pent. irr. t.* 42.

Odore & ſapore pollet aromatico, ſatis noto. Planta annua, erecta, ſesquipedalis & tenera inſiſtit radici graciliter fuſiformi & ſordide albenti. Caulis teres, fiſtuloſus, lineatus, glaber, ad nodos tamen hirſutulus, ramoſus. Folia tenuia, nitida, triplicato-pinnata; coſtarum vaginis concavis & ad oras ſæpe hirſutis; foliolis ſubovatis & ſerrato-inciſis. Umbellæ aliæ ad caulis ramorumque nodos vere ſeſſiles, aliæ magis minusve longe pedunculatæ, radios habent paucos, frequentius quinos vel ſenos, patulos, & ſubpubeſcentes. Umbellulæ ſunt inæquales, planæ & raræ. Involucrum univerſale plerumque deſideratur. Vidi tamen etiam particulari ſimile, quod eſt unifolium, ſetaceum & breve. Flores pauci carent germine, iique imprimis interiores, hinc ſteriles. Reliquis fertilibus germen eſt oblongum & glabrum. Petala alba, ex latiori fine verſus originem anguſtata, apicem inflexum gerunt, hinc ſæpe viſa emarginata, patentiſſima, exteriorum florum exteriora paulo longiora. Filamenta alba, in principio inter petala patent; dein ſucceſſive alia eriguntur, & antheras ochroleucas didymaspue ſtigmati ad fæcundationem imponunt; quod etiam quibusdam aliis in umbelliferis fieri, obſervavi. Styli albent. Semina ſubulata, fuſca, ſtylo coronata erecto, ſemiteretia, & vix angulata, nec ſtriata; ad microſcopium punctata, & quæ-

dam minimis albidisque aculeis rariter hiſpida ſunt. Creſcit ad ſylvarum margines, ſepes, & alibi. Floret Majo & Junio. Ad latus tabulæ ſiſtuntur fructus integer, & aucta flos ſeminisque ſectio transverſa.

TABULA TRECENT. NONAGESIMA PRIMA.

ERYNGIUM PLANUM. *Linn. ſyſt. pag.* 201. *Crantz. faſc. pag.* 229.
Eryngium latifolium planum. *Bauh. pin.* 386.
Eryngium pannonicum latifolium. *Cluſ. hiſt. CLVII. Besl. eyſt. æſt. O.* 11. *fol.* 10. *fig.* 1.
Eryngium ſpurium primum. *Dod. pempt.* 5. *l.* 5. *c.* 13.

Totum glabrum eſt. Radix tenuiter fuſiformis, albida, longa, perennis, ſapore prædita dauci, dein fervido & ſalivam ciente, caulem promit erectum, teretem, ſulcato-ſtriatum, albidum, medulla plenum, ſesquipedalem vel altiorem, annuum, folioſum; ſuperne ut plurimum trifide ramoſum cum flore pedunculato centrali. Folia radicalia ſunt petiolata, cordato-ovata, obtuſa, inæqualiter ac mucronate crenata. Caulina infima radicalibus ſimilia. Superiora ſeſſilia, lobate inciſa, & ſpinuloſe ſerrata. Flores in capitulum ſubrotundum colliguntur, ramosque terminant. Involucrum circiter hexaphyllum, patenti-reflexum, ex foliolis longe lanceolatis, acutis, mucronatis, ſpinuloſe & rariter ciliatis, inæqualibus, capitulo ſæpe longioribus. Singulis floſculis ſquama ſubjicitur ſublinearis, mucronata, integerrima, longitudine floſculi, inferne albens, ſuperne viridis. Germen inferum & obſoletius angulatum obſidetur denſe pilis ſubulatis & albis. Calycis ſuperi foliola ſunt quina, oblonga, concava, integra, erecta, mucronata, virentia cum oris & linea dorſali media albis. Petala totidem, oblonga, cærulea & erecta, ad calycis ſummitatem introrſum flectuntur, ut margo duplicatus evadat retuſus, parsque inflexa anguſtetur, deſcendatque ad usque petali baſin ſitu parallelo. Filamenta & ſtyli albent, corolla duplo longiora, & erecta. Antheræ oblongæ cæruleſcunt. Semina hinc plana, illinc in angulum convexa & hirta, ſaporis fervidiuſculi, alterum duobus, tribus calycinis foliolis coronatum alterum. Floret a Junio ad Auguſtum. Creſcit in pratenſibus Danubialibus. Exhibetur planta junior unicaulis, dum ætate provectior quoque plures proferat. Ad marginem ſiſtuntur ſemina duo, unumquodque ex oppoſito latere conſpectum; dein aucta flos, petalum, & ſeminis transverſa ſectio.

TABULA TRECENT. NONAGESIMA SECUNDA.

ATHAMANTHA LIBANOTIS. *Linn. ſyſt. pag.* 207.
Libanotis Riviniana. *Scop. carn.* 1. *p.* 193.
Libanotis montana. *Crantz. faſc. pag.* 222.
Libanotis foliis triplicato-pinnatis; pinnulis primis decuſſatis; umbellis globoſis. *Hall. hiſt. helv. num.* 744. *opuſc. pag.* 250. *num.* 42.
Libanotis. *Riv. pent. irr. t.* 37.
Apium petræum ſeu montanum, album. *Bauh. hiſt.* 3. *part.* 2. *pag.* 105.
Daucus montanus apii folio minor. *Bauh. pin.* 150. *prodr. p.* 77.
Daucus montanus, Pimpinellæ Saxifragiæ minoris folio, Dubrienſis. *Plukn. alm.* 129. *t.* 173. *f.* 1.

Ex radice digitum plus minus craſſa, ſubfuſiformi, ramoſa, foris fuſceſcente vel albida, ſaporis aromatici amaricantis tandemque fervidi, primo anno ſola folia prodeunt radicalia, altero anno, instructa ſetoſo capite, aut demum tertio, caulis aſſurgit, & poſt ſemina ma-

matura perire mihi videtur, quum semper unicum ex centro radicis caulem exiisse observavi, sine ullo anterioris caulis vestigio. Hic vero firmus est, ratione siccitatis aut elevationis soli natalis a dimidio pede ad quatuor pedes altus, magis minusve hinc etiam ramosus, quandoque in pumilis subalpinis individuis simplicissimus unicaque umbella praeditus, a calamo ad digitum crassus, profunde sulcatus, obtuse angulatus, superne autem saepe acutius, farctus medulla, ad lentem villosulus. Rami axillares, striati, & erectiusculi, modo ex foliorum alis superiorum, modo oriuntur ex alis omnium. Folia radicalia & caulina sunt pinnata aut bipinnata; innixa costa ad basin vaginante striata villosula & semiamplexicauli; glabra, circumscriptione oblonga vel triangularia: pinnis subovatis, sessilibus, serrrato-incisis, acutiusculis. Pinnae ad costam principem sedent decussantes, quae tamen in pluribus quandoque foliis, etiam plantis integris, desiderantur. Involucrum universale polyphyllum fit ex foliolis subulatis, acutis, integris, villosulis, & patentissimis; cui particulare simile est. Radii sunt striati & villosi. Umbella universalis densissima, dum floret, est hemisphaerica; dum fructescit, plana, quia radii exteriores eo usque eriguntur, in florente patentissimi. Flosculi omnes fertiles. Germen villosum. Petala aequalia, ex ochroleuco pallentia, subovata, patentissima, apicem attenuatum inflectentia, vix tamen cordata. Stamina concoloria & longiora eriguntur. Styli in germine increscente purpurascunt. Semina sunt cinerea ac ovata, hinc plana, illinc tribus striis parum elevatis notata & villosula. Plantam exhibui subalpinam altiorem, cui ad latus adstant semen utrinque visum, & aucta flos feminisque dissectio. Ex plantis majoribus folia varia integra, & folii maximi solam pinnam, in tabula sequente, non colorata, proposui. Floret Julio & Augusto. Septembri semina maturescunt.

TABULA TRECENT. NONAGESIMA TERTIA.

CARUM CARVI. *Linn. syst. p.* 216. *Hall. hist. helv. num.* 789. *Riv. pent. irr. t.* 54. *Cam. epit.* 516.
Carum pratense, Carvi officinarum. *Bauh. pin.* 158.
Seseli Carum. *Scop. carn.* 1. *p.* 215.
Apium Carvi. *Crantz. fasc. pag.* 218.

Tota glabra est. Radix subfusiformis, calamum vel digitum crassa, subflavescens foris, intus albicans, & Petroselini quodam sapore praedita, altero demum aetatis anno profert caulem, in alpibus, quorsum ab ipsa planitie & Danubii pratis adscendit, spithamaeum, caeterum cubitalem & duplo altiorem, ramosum, teretem, medullaque farctum alba. Folia radicalia & caulina sunt circumscriptione oblonga, divisione plus minus bipinnata; laciniis linearibus; aucta ad costam principem foliolis multifidis cruciatim positis. Petioli sunt membranacei & dilatati. Umbellae planae, rarae, pedunculatae, fultae involucro universali aut nullo, aut constante ex foliolo uno alterove subulato. Particulare nunquam observavi. Petala sunt alba, propter apicem obtusiusculum inflexum parumper cordata, patentissima, exteriora pauxillo majora. Germinis vertex pallide flavescit. Stamina corollam leviter superant. Antherae luteae. Styli breves. Omnes flosculi sunt hermaphroditi & fertiles. Semina oblonga, versus utrumque finem attenuata, & quinquestriata, odorem saporemque grate aromaticum habent. Crescit in herbidis. Floret Junio, in alpibus Augusto & Septembri. Ad latus stant semen; & aucta ejus sectio transversa & flos.

TABULA TRECENT. NONAGESIMA QUARTA.

OENANTHE PIMPINELLOIDES. *Linn. syst. p.* 213. *Scop. carn.* 1. *p.* 217. *Crantz. fasc. p.* 201.

Oenan-

Oenanthe apii folio. *Bauh. pin.* 162.
Oenanthe, five Filipendula monfpeffulana, folio apii. *Bauh. hift.* 3. *part.* 2. *pag.* 190.
Oenanthe apii folio minor caule firmiore. *Moris. hift.* 3. *p.* 288. *s.* 9. *t.* 7. *f.* 3.
Filipendula tenuifolia. *Tabern. ic.* 141.

In Auftria jam ante fedecim annos primus illuftris a Mygind detexit, poftea ego paucique alii invenimus hanc plantam, valde infrequentem, veram tamen civem, ab Halleriana numero 756 defcripta diftinctiffimam. Radix perennis & foris nigra tuber quoddam magis minusve craffum exhibet, ex quo undique fibræ nigræ exoriuntur, abeuntes pleræque in tuberculum ovatum aut fubrotundum, carnofum, intus albidum, foris aut nigricans, aut cortice exteriore detrito etiam partim albefcens, ipfum quoque in fibrillam tenuiorem terminatum. Caulis ramofus & angulato-ftriatus medulla farcitur alba, fesquipedalis vel altior. Folia radicalia & caulina infima funt bipinnata vel tripinnata; aut etiam dumtaxat pinnata in individuis minoribus cum pinnulis tunc pinnatifidis. Caulina fuperiora pinnata; fumma fimplicia. Pinnulæ in foliis inferioribus funt circumfcriptione fubovatæ, pinnatifidæ vel laciniatæ aut furcatæ, valde fic variantes. In fuperioribus autem foliis funt integræ, & ex lineari lanceolatæ. Omnes acutæ. Petioli fiftulofi & ftriati ex bafi membranacea & vaginante ortum ducunt. Umbellæ ramulos ultimos ferme nudos terminant, denfæ & planæ. Involucri utriusque foliola funt plura & fetacea. Petala alba, inæqualia, exteriora majora, omnia ob apicem valde inflexum cordata. Stamina longitudine corollæ patent. Styli rigiduli paulatim valde elongatur, umbellæ fuperficiem hifpidulam reddunt, inque umbellis fructefcentibus fæpe rubefcunt. Perianthium proprium pentaphyllum, laciniis lanceolato-acuminatis & longitudine inæqualibus. Fructus teres & ftriatus dividitur in femina oblonga, hinc plana, illinc ftriata, ftylo inftructa, alterum coronatum calycis foliolis tribus, duobus alterum; fapore donata haud grato. Flofculi radiantes plerique carent piftillo, hinc fteriles. Tota planta glabra eft. Crefcit in pratis udis. Floret Majo & initio Junii. Semina perficit Julio & Augufto. Ad latus fiftitur femen; & ad lentem aucta feminis transverfa fectio & flos.

TABULA TRECENT. NONAGESIMA QUINTA.

PIMPINELLA SAXIFRAGA. *Linn. fyft. pag.* 217.
Pimpinella rotundifolia. *Scop. carn.* 1. *p.* 209.
Pimpinella faxifraga minor. *Cam. epit.* 776. *Bauh. pin.* 160. *Moris. umbell. p.* 13. *t.* 5.
Tragofelinum foliis ovatis, pinnis ovatis. *Hall. hift. helv. num.* 786.
Tragofelinum minus, Pimpinella minor. *Tabern. ic.* 88.

Planta hæc habitu, flore, odore, fapore, femine, foliis & radice convenit ita cum fubfequa Pimpinella majore, ut difcrimen fufficiat adtuliffe, dum illius defcriptio confuli poteft. Hæc in collibus apricis gramineis ficcis crefcit, & ad vias, florens imprimis Augufto. Et folia tota, & caulis ramique, magis villofula funt, modo ut oculus nudus villos difcernat facile, modo ut requiratur armatus. Foliola funt rotundiora. Folia caulina plerumque defiderantur, præter unum alterumve in caulis parte infima, fed illorum folæ vaginæ petiolares adfunt. Caulis fæpe ramofior, quandoque diffufus. Umbellæ minores. Petala femper alba.

TABULA TRECENT. NONAGESIMA SEXTA.

PIMPINELLA MAJOR. *Linn. mant. pag.* 219. *Gouan. ill.* 21.

Pim-

Pimpinella ſaxifraga. *Scop. carn.* 1. *p.* 209. *Cam. epit.* 775.
Pimpinella ſaxifraga major. *Moris. umbel. p.* 13. *t.* 5.
Pimpinella flore rubro. *Riv. pent. irr. t.* 60.
Pimpinella ſaxifraga major, umbella candida. *Bauh. pin.* 159.
Pimpinella ſaxifraga major, umbella rubente. *Bauh. pin.* 159.
Apium Tragoſelinum. *Crantz. faſc. pag.* 214.
Tragoſelinum foliis pinnatis; pinnis lanceolatis, ſerratis, extremis trilobatis. *Hall. hiſt. helv. num.* 785.
Tragoſelinum majus, Pimpinella major. *Tabern. ic.* 88.
Saxifraga, Pimpinella germanica major. *Cluſ. hiſt. CXCVII.*
Saxifraga magna. *Dod. pempt.* 2. *l.* 5. *c.* 21.
Saxifraga major germanica, foliis altius inciſis. *Barr. ic.* 243.

Radix perennis, fuſiformis, teres, calamum digitumve craſſa, cum quadam flavedine ſordide albicans, etiam in crura diviſa, ætate quandoque multiceps, ſapore pollet fervido & aromatico. Caulis erigitur, ſtriato-angulatus, ramoſus, firmus, medulla alba farctus, glabriuſculus, plus minus ſesquipedalis. Folia ſunt pinnata, glabra, orta ex petiolo vaginante. Foliola lanceolata, vel ovata, argute ſerrata, ſupra ſaturate & ſubtus dilute virentia, acuta, pleraque ſeſſilia, ſaporis acris, tria vel quatuor paria oppoſita, cum impari terminante; atque hoc modo integrum eſt, & inferioribus ſimile, modo magis minusve profunde trilobum. Et ipſa etiam oppoſita illa interdum aliqua, aut omnia, per inciſuram unam alteramve profundiorem ſunt varie lobata, ut hic nihil certi ſtatui poſſit. Umbellæ convexulæ, erectæ, terminales, & pedunculatæ, radios habent graciles, involucrum plane nullum. Flores omnes fertiles & odorati. Petala ferme æqualia, lanceolata, propter acumen inflexum ſubcordata, patentiſſima, alba plerumque, in ſubalpinis quandoque pulchre rubella, foris ſæpe hirſutula. Filamenta petalis fere duplo longiora albent. Antheræ & germinis vertex pallent. Semina fuſca, oblongo-ovata, acuta, glabra, hinc plana, illinc gibba & tribus ſtriis parumper elevatis notata, ſaporis fervidi. Creſcit imprimis in ſylvaticis, æque demiſſioribus, quam in ſubalpinis; hic vero copioſiſſime; atque alpes quoque ultra ſylvas adſcendit. Floret Junio & ſequentibus. In tabula ſeorſim habentur folium terminale trilobum, ſemen; tum aucta flos & ſemen transverſe ſectum.

TABULA TRECENT. NONAGESIMA SEPTIMA.

PIMPINELLA ORIENTALIS. *Gouan. ill. pag.* 21. *tab.* 15.
Pimpinella ſaxifraga major degener. *Moris. umb. p.* 13. *t.* 5.
Pimpinella ſaxifraga hircina major, foliis alte inciſis, italica. *Barr. ic.* 737.
β. Pimpinella ſaxifraga. *Blackw. tab.* 472.
Pimpinella ſaxifraga minor criſpa. *Moris. umb. p.* 14. *t.* 5.
Pimpinella criſpa ſive petræa. *Tabern. ic.* 89.
Pimpinella ſaxifraga minor montana, foliis alte inciſis. *Barr. ic.* 738.
Tragoſelinum foliis duplicato-pinnatis, pinnulis profundiſſime lobatis. *Hall. hiſt. helv. num.* 787.
Saxifraga, Pimpinella germanica minor. *Cluſ. hiſt. p. CXCVII.*
Saxifraga parva. *Dod. pempt.* 2. *l.* 5. *c.* 21.

Synonyma hæc omnia ad eandem plantam retuli, cujus primam varietatem tabula ſiſtit, eandem mihi habitam cum Pimpinella orientali Gouaniana, quum ſemina Monſpelio miſſa ſub dicto titulo eandem plantam ſata dederunt. Creſcit talis ad margines ſylvarum & ſepium, cultaque non minus Pimpinella Saxifraga ſic variare ſolet. Modo etiam Pimpinellæ majori

similis est, sed villosior, sæpe etiam ramosior; ut credam, omnes meras unius ejusdemque plantæ varietates esse, quæ tamen distinctis figuris tradi mereantur. Flores hujus semper albent. Folia sunt pinnata; foliolis varie & pinnatifide multipartitis; laciniis lanceolatis & acutis. Et talia modo sunt in integra planta; modo dumtaxat caulina, dum in radicalibus foliola sunt subcordata, inæqualiter serrata, cum impari trilobo, cujusmodi ad latus adstat; aut dum eadem foliola sunt prioribus Pimpinellis simillima. Floret & fructescit cum Pimpinella saxifraga.

TABULA TRECENT. NONAGESIMA OCTAVA.

EUPHRASIA LUTEA. *Linn. syst. p.* 405. *Scop. carn.* 1. *p.* 436.
Euphrasia Coris. *Crantz. fasc. pag.* 298.
Euphrasia lutea major sylvestris angustifolia. *Col. ecphr.* 1. *p.* 204.
Euphrasia pratensis lutea. *Bauh. pin.* 234. *Moris. hist.* 3. *p.* 432. *s.* 11. *t.* 24. *f.* 16.
Euphrasia flore luteo. *Cam. hort. p.* 59.
Odontites bracteis glabris, integerrimus. *Hall. hist. helv. num.* 305.
Odontites flore luteo. *Riv. monop. irr. t.* 91.
Coris monspessulana lutea. *Bauh. hist.* 3. *p.* 433.

Elegans plantula, a quatuor unciis ad pedem alta, erectaque ex radice annua, tenui & simplice unum plerumque caulem attollit, purpurascentem, tenuem, teretem, scabriusculum, superne ramosum. Folia sunt sublinearia, acuta, subsessilia, asperiuscula, alterna, inferiora obsoletius denticulata, superiora & ramea integerrima, in planta florente infima plerumque jam delapsa. Flores brevissime pedunculati, axillares, solitarii, secundam simul spicam mentientes. Calyx campanulatus, subbilabiatus, semiquadrifidus, extus hirsutus. Corollæ luteæ & foris pilosæ tubus calycem superat, infundibuliformis. Labium superius emarginatum latescit superne; inferioris tres laciniæ sunt obverse cordatæ & breviores. Filamenta ferme longitudine æqualia, & a corollæ labris remota, inter media porriguntur illa, stylus autem villosus labio inferiori incumbit. Antheræ coloris aurantiaci, didymæ, oblongæ, & biloculares, longitudinaliter superne dehiscunt, ibidem mucrone brevi auctæ singulæ, atque in dorso gerentes glandulas aliquot ampullosas pellucidas & excolores. Capsula hirsutula est. Crescit haud infrequens in siccis, glareosis, saxosis, tum etiam herbidis locis. Floret Augusto & Septembri, quo etiam mense perficit semina. Mediocris staturæ specimen sistitur, cui ad latus additur figura aucta calycis, petali, & antheræ utrinque conspectæ; neque illa in eadem proportione.

TABULA TRECENT. NONAGESIMA NONA.

CISTUS OELANDICUS. *Linn. syst. pag.* 367. *Gerard. prov. p.* 396. *num.* 10. *Gouan. flor. monsp. pag.* 263.
Cistus alpestris. *Jacq. enum. vindob. pag.* 248. *Scop. carn.* 1. *pag.* 375. *t.* 23. *Crantz. fasc. pag.* 103. *t.* 6. *f.* 1.
Cistus Seguieri. *Crantz. fasc. pag.* 104.
Cistus caulibus duris, procumbentibus; foliis subhirsutis, ellipticis, conjugatis; petiolis unifloris, confertis; calycibus tomentosis. *Hall. hist. helv. num.* 1034.
Cistus helianthemos parvo flore luteo. *Bauh. hist.* 2. *p.* 17.
Helianthemum serpilli folio, flore majore aureo odorato. *Tourn. inst. p.* 249. *Seg. ver.* 3. *p.* 194.

Cha-

Chamæciſtus altera. *Cluſ. hiſt. pag.* 73.
Chamæciſtus ſerpilli folio nigricante & hirſuto, flore aureo & odorato. *Bauh. hiſt.* 2. *pag.* 17.
Chamæciſtus repens ſerpillifolia lutea. *Bauh. pin.* 466.

Etiamſi illuſtris Linnæus œlandico ſuo Ciſto tribuat folia glabra, totumque eſſe glaberrimum in Flora Suecica aſſerat, jam tamen ſuſpicabatur clariſſimus Gerardus, ab hoc ſtirpem noſtram non differre. Auſtriaci diverſam novamque ſpeciem fecimus, hac glabritie ſeducti; quam ob ſtipulas deficientes, neque ad Ciſtum ſerpillifolium Linnæi, ignotam ſic nobis plantam, reducere poteramus. Miſſum vero a me ſpecimen ſiccum pro ſuo œlandico Ciſto vir illuſtris agnovit, ut potuerim ſub hoc titulo proponere. Radix ramoſa & fuſca plurimos caules fundit, ſuffruticoſos, procumbentes, teretes, lignoſos, fuſcos, ramoſos, ſuperne atropurpureos vel badios, plus minus ſemipedales, adſcendentes in extremis, a foliis confertis delapſis exaſperatos cicatriculis, cæterum glabros, ramis junioribus dumtaxat folioſis. Stipulæ adſunt nullæ. Folia ſunt oppoſita, petiolata, oblonga vel lanceolata, obtuſa, integerrima; utrinque virentia, & facie quidem ſaturate, nec incana; utrinque & ad oras pilis albis hirſuta, quædam tamen dorſo minus, fereque hic glabra. Racemi terminales, pauciflori, villoſique eriguntur. Flores ſuaveolentes habent foliola calycina piloſiſſima, duo extima linearia, tria interiora ovata. Petala lutea, ex ſubrotundo obverſe ovata, integra vel ſubcrenulata, vix emarginata. Stamina & piſtillum tota lutea. Stigma magnum ſubquadrifidum & muricatum. Capſula hirſuta, nutans, & ovata continet ſemina minuta. Creſcit paſſim in alpium jugis ſaxoſis, florens Julio & Auguſto.

TABULA QUADRINGENTESIMA.

DORONICUM BELLIDIASTRUM. *Linn. ſyſt. p.* 559. *Jacq. enum. vind. pag.* 285.
Aſter Bellidaſtrum. *Scop. carn.* 2. *pag.* 168.
Arnica caule nudo, unifloro; foliis ovato-lanceolatis, ſerratis. *Hall. hiſt. helv. num.* 92.
Bellidaſtrum alpinum, foliis brevioribus hirſutis, caule palmari, flore albo. *Mich. gen. p.* 32. *t.* 29.
Bellis media. *Cluſ. hiſt. pag. XLIV. Cam. epit. p.* 654.
Bellis alpina minor, ſylveſtri minori ſimilis. *Scheuchz. it. alp.* 6. *p.* 453.
Bellis ſylveſtris media, caule carens. *Bauh. pin.* 261.

Ex radice perenni, calamo fere duplo graciliore, unciam longa, obliqua, fibris longis jubata, & ſaporis aromatici nec ingrati, folia enaſcuntur plura, obverſe ovata vel lanceolata, attenuata in petiolum longum & hirſutum, obtuſa, dentato-ſerrata, utrinque & ad oras villoſula & aſperiuſcula; tum ſcapus unicus plerumque, erectus, teres, hirſutus, aphyllus, uniflorus, plus minus ſemipedalis, purpureus vel virens. Calycis viridis & villoſuli ſquamæ ſunt lanceolato-lineares, acutæ, ſubæquales, erectæ, a quindecim ad viginti quinque, fere duplicis ſeriei, longitudine corollæ. Fæminei floſculi in radio ligulati, bidentati tridentati vel integerrimi, patentiſſimi, calyce duplo longiores, a viginti quinque ad quinquaginta, albi vel rubelli. Diſcus luteus ex hermaphroditis numeroſis. Stigma bifidum, furcatum, longius exſertum. Anthera flava. Semina coronantur pappo ſeſſili & ſubpiloſo. Receptaculum eſt convexum & nudum. Creſcit in ſubalpinis & ſummis etiam alpium jugis, imprimis ad pineta. Floret pro varia ſoli altitudine a Junio ad Auguſtum.

Tabella tituli repræſentat arcem Rauchenſtein, intus jam plane dirutam, ut ſoli ſuperſint muri; ſuperſtructam præcipiti ſcopulo proxime Thermas Badenſes, illo in montium tractu, qui ob raras, quas alunt, ſtirpes Botanicis ſeſe commendant.

qu 1007164

54a. — T. 301.

T. 302.

T. 304.

T. 312.

T. 313

T. 315.

T. 318.

T. 320.

T. 321.

1.
2.
3.
4.
5.

T. 330.

T. 331.

T. 332.

T. 333.

T. 334.

J. Adam Sculp.

T. 337.

T. 338.

T. 339.

T. 342.

T. 343.

T. 344.

T. 348.

T. 349.

T. 358.

T. 359.

T. 363.

T. 365.

T. 368.

T. 369.

T. 371.

T. 372.

T. 373.

T. 374.



T. 375.

T. 377.

T. 378.

T. 379.

T. 385.

T. 384.

T. 385.

T. 388.

T. 389.



T. 393.

T. 394.

T. 398.



T. 399.

T. 400.

94 27164

[illegible] 7164



FLORÆ AUSTRIACÆ

SIVE

PLANTARUM SELECTARUM

IN

AUSTRIÆ ARCHIDUCATU

SPONTE CRESCENTIUM,

ICONES,

AD VIVUM COLORATÆ, ET DESCRIPTIONIBUS,

AC

SYNONYMIS ILLUSTRATÆ,

VOL. IV.

OPERA ET SUMPTIBUS

NICOLAI JOSEPHI JACQUIN.

VIENNÆ AUSTRIÆ,

TYPIS JOSEPHI MICHAELIS GEROLD,

AULÆ IMPERIALIS TYPOGRAPHI.

MDCCLXXVI.